ANAGOGE EJUSD. FESTI.

A Sabbathum, id est, festum Hebdomadarum adumbrabat universalem Sanctorum requiem in cœlo: ut sicut secundo die azymorum præcessit oblatio manipuli spicarum, id est, Christi resurrectio; ita septima exinde hebdomada, & die 50. omnes, qui per fidem, & dilectionem Christo adhæserunt, ad eum quasi ad caput suum congregentur, æternam cum illo requiem habituri: tuncque offerent duos panes primitiarum, gloriam scilicet animæ, & corporis, eaque Deo, ejusque laudibus æternis consecrabant. Ita *Rudolph. in Levit.*

Peregrinatio. Peregrinus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA, ET ACCEPTIO VARIA.

PEregrinatio est peragratio per regiones, & loca aliena: unde & peregrinum dicimus, qui non est in sua civitate: Quem & ab hospite distinguunt, eum vocantes, qui est in aliena. Deducunt autem à peragrando, quod est obambulare, sive per agros vagari, aut proficisci, aut à per-B gendo, vel à progrediendo.

Significat verò primò ipsum actum proficiscendi, sive ipsam migrationem ad loca externa proprio relicto, Græci ὑποδημίαν, sive ἐκδημίαν quasi segregationem, & recessum à populo appellant, puta cognito, & velut patrio. Secundò significat terminum hujus actus, nempe absentiam, & in locis externis commorationem. Hinc peregrinus Græcis dicitur ἀπόδημος, vel ἐκδήμος, qui abit, vel proficiscitur peregrè. Quamvis aliquando generalius, quævis sejunctio ab invicem peregrinatio appelletur.

Etiam nonnunquam peregrinus pro Extraneo sumitur, *ut Alberic. indicat. in Advent. de non elig. fec. nub. ux.* Peregrini Romanis erant, omnes, qui jus civitatis non habebant: ut quia Latinæ essent conditionis, vel penitus alienigenæ. Cur autem interdicti, vel deportati peregrini dicerentur, *Ostendit Alcia. cap.* 15. *l.* 1. *parerg.*

Peregrinus, Hebr. *Gher*, in aliis regionibus habitans, alienigena, advena, incola. Sæpius legitur apud Moysen, & prophetas à verbo *Ghar. Gher. Gur.* ita enim variè efertur, variasque habet pro locorum circumstantiis significationes: peregri-C nus est, cessit de loco ad locum sicut peregrinus, incessit cum metu in loco peregrino, fecessit in partes alienas ad habitandum, vagatus est sedibus incertis, traxit se aliquorsum ad peregrinandum, congregatus est ad habitandum. Cognationem habet cum *Agar.* congregavit, collegit; *Magar* migravit; *Magor*, traxit: nam peregrinari est se hinc inde trahere, item cum *Jagor*, horruit, recessit, & subtraxit se præmetu. Hinc χωρίω, cedo: cum compositis, ad superiores significationes accedentibus.

Nonnunquam per metaphoram dicitur peregrinatio, abdicatio rerum terrenarum: & peregrinus, qui se à consortio mundi segregat. Quo sensu dixit *Climachus Grad.* 3. quod sit desertio constantissima omnium, quæ sunt in patria, quibus à pietatis destinatione, & exercitatione impedimur.

Sic & Joannes Scholiastes dixit, Peregrinationem esse abdicationem omnium concupiscentiarum, voluptatum, iniquitatum.

Etiam pro vitæ hujus curriculo usurpatur peregrinatio, quomodo dicit Apostolus 2. *Corinth.* 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: ubi notatur absentia à patria, D quam votis omnibus expetimus. Sic dicebat Jacob Pharaoni *Gen.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, &c.

* PARTITIO.

Peregrinatio propriè dicta est duplex, pro diversitate finium, quos spectat. Alia est profana, alia sacra, sive religiosa. Profanam dicimus, cui temporalis finis proponitur, v. g. quæ suscipiunt linguarum, aut regionum agnoscendarum gratia, visendorum amicorum, aut virorum celebrium. Item lucri, aut curiositatis causa. Religiosam, & sacram appellamus, cujus finis spiritualis est, talis fuit Apostolorum, & aliorum, qui Apostolorum vestigia sequuntur, ac Evangelii promulgandi causa remotissima adierunt Regiones; quomodo Paulus vocat Lucam comitem peregrinationis suæ. 2. *Cor.* 8. Ejusmodi etiam fuit illæ, quæ suscipiuntur ad loca sanctitate, & miraculis celebria, Sanctorumve reliquiis, & miraculis à Deo nobilitata, idque vel ex voto, quod nuncupatur, vel particulari affectu, & devotione. Ad primum genus revocandæ sunt peregrinationes, ad quas cogit necessitas, qualis aceidit Jacob Patriarchæ, qui cum filiis suis descendere in Ægyptum compulsus, ibique peregrinari. E

Sic & Elimelech *Ruth. c.* 1. famis vitandæ causa abiit, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum filiis, & uxore, & ut fames, ita hostium incursus, pericula à barbaris, gladius persecutionis aliquando ad peregrinandum compellunt. Quæ omnia exemplis declarabimus.

PEREGRINATIONES SUSCEPTÆ, OBITÆ A QUIBUS. Nempe QUI PEREGRINATI.

PATRIARCHÆ.

Abraham primus Patriarcha, & credentium pater, quem Jesu Sirachi F. magnum, & gloria mirabilem dicit: Tharæ filius fuit: natus anno post diluvium secundo supra ducentesimum, & nonagesimum, ut author est Josephus, in Ur Chaldæorum civitate, quam alio nomine Camirinem vocari, scribit Eusebius: Urchoa forta Ptolemæi. Emigrat è patria sua, ætatis suæ (ut habet Suidas) decimoquarto, monitus à Deo, in Charran, quam Mesopotamiam interpretatur. *D. Stephan.* in oratione, quam habuit ad Judæos, *in actis Apostol.* & Achior ad Holofernem, in Judith historia: sic quoque septuaginta interpretes: Josephus pro urbe habet Carrhas Crassi nobilitatas clade, etsi sint, qui putent, mihi non li- F quet. In hac Mesopotamia paululùm commoratus (ibidem patre defuncto, ut idem Suidas testis) inde, Dei jussu, cum Sara uxore, Loth fratris filio, totaque familia, & animantibus, quas in Charran comparaverat, versus terram Chananæam profectus est (fi fides Nicolao Damasceno apud Josephum, apud Damascenos habitavit, ubi vicus ejus suo tempore ostendebatur, qui Abraham domicilium vocabatur) cumque in Sichemam ad Moræ planitiem (locum, quem & quercum, & quercetum More, & quercum excelsam, varii interpretes variè interpretantur, & Terebinthum suo tempore appellatum scribit Zozomenus) pervenisset; apparuit illi Deus, promisitque illi, & semini ejus terram illam daturum. Itaque ibi aram exstruxit ipsi Deo, qui illi apparuerat. Inde se in montem inter Bethel, & Hai contulit, tentoriumque ibi fixit: & ibidem quoque aram Deo construxit, ipsiusque nomen invocavit, & versus meridiem pergit. Orta autem in ea Regione fame, eaque ingravescente, descendit in Ægyptum: ibidem peregrinaturus. Cumque in eam pervenisset cum uxore, quam sororem vocabat, muliere forma elegantiæ exarsit in hanc Pharao rex: eamque accersivit in domum suam. Abraham autem G multis beneficiis prosecutus est, ibique, ut est testis Josephus, ob eloquentiam, & omnium rerum peritiam in pretio habitus fuit. Cum autem afficeret Deus Pharaonem, totamque ejus domum multis cladibus, eandem Abrahæ restituit; expostulatus cum eo, quod illi non indicasset suam esse conjugem, sed sororem appellasset; eamque dimisit.

Ascendit autem Abraham denuo ad Bethel, in eum locum, ubi prius altare fecerat, & nomen Domini invocavit. At cum una Regio Abraham, & Loth (abundabat enim uterque familia, tentoriis, jumentis, aliisque animalibus) non facilè caperet, & unà habitare non possent, exoritur controversia inter eorum pastores. Abrahã hac de causa cum Loth fratre Regionem dividit. Loth eligit Jordanis fluminis planitiem irriguam, tractum paradiso, atque Ægypto amœnitate, fertilitateque similem, in qua Sodoma Gomorrha: (quas Deus tunc nondum everterat) ibique cum suis habitavit, Abraham autem mansit in Chananæa.

Digressus hic itaque à fratre, apparuit illi Dominus, ostenditque omnem terram, quam oculis inter Orientem, & Occidentem, inter Septentrionem, & Meridiem circumspicere poterat, H quam omnem promisit, deditque illi, & semini ejus in sempiternum. Abiit inde habitatum in vallem Mambre (quercum mambre vertunt 70. interpretes, & Ogyn quercum Josephus) Terebinthum suo tempore appellatum locum, scribit Evagrius: à Terebintho, ut puto, hinc sexto stadio distante, ut apud Josephum legitur, & quem ibidem permansisse ad sua usque tempora, tradit *Euseb. Pamphilius*; quæ est circa Hebron, sive Chebroa. Ibique nuntio accepto de capto, & profligato ex possessione sua Loth, trecentos octodecim vernaculos domi suæ natos expedit, quibus hostes persequitur à Dan usque, & Chobam [Soboan vocat Josephus, & Abpam D. Hieronymus] fratremque cum familia, fortuna, & omni præda liberat, & reducit. Huic domum revertenti occurrit illi Sanc, loco, qui à Josepho Campus Regius, à D. Hieronymo Vallis Regis dicitur, Sodomæ Rex: item Melchisedech Hierosolymæ Rex, & Sacerdos, vinum, & panem ei offerens, & faustis omnibus prosequens. Cui Abraham quoque decimas omnium rerum dedit.

His

His rebus gestis, apparuit illi iterùm Dominus, promit-A titque prolem hæredem, & inde progeniem instar cœli stellarum, & maris arenarum numerosam. Hocque non considerans corpus suum emortuum, (qui propemodum centenarius erat) aut enectam Saræ vulvam, sed fide non infirmus, neque de Dei promisso dubitans, & exploratum habens, cum, qui promisisset, etiam præstare posse, contra spem in spem credidit, eique ad justitiam reputatum fuit. Atque in veritatis testimonium, vitulum, capram, arietem, turturem, & columbam, media dissecuit: aves autem non item: idque ita ex Dei præcepto, alites ad cadavera volantes abegit. Post solis occasum autem oborta caligine, ecce clibanum fumantem, & facem igneam. Et ferit Deus cum Abraham fœdus: datque semini ejus omnem terram, quæ est à flumine Ægypti (Nilo) usque ad flumen magnum Euphratem. Sara autem ejus uxor cum hactenus sterilis esset, & ancillam haberet Ægyptiam nomine Agar, Abraham submovit, ut ex ea semen sibi suscitaret: ad quod consentiens, eam impregnavit, quæ posteà illi filium peperit, quem Ismael nominavit.

Apparet posthac Deus Abram, id est, altiparenti, & nomi-B nat eum Abraham, id est, multiparentem: & ejus uxorem Sarai (quod est princeps mea) Saram, (quod sonat principem) filiumque ex eadem promittit, fœdusque cum eo iniit circumcisionis. Ipse autem præputia marium totius suæ familiæ ipso eodem die circumcidit: Apparuit deinde illi Dominus in planitie Mambre, cum ad januam tabernaculi esset: vidit enim homines (Angelos habet Epistola ad Hebræos) tres, hospitioque accepit: descedentesque ad Sodomam deducit: domumque reversus videt è cœlo sulphur, & ignem in Sodomam, & Gomorrham omnemque campum depluere. In meridiem versus profectus, & quiescens inter Caden, & Sur, curavit Abimelech Geraris Rex ad se accersiri Saram, quam Abraham sororem, ut anteà, vocabat. Monitus autem à Deo Abimelech, priusquam rem cum ea haberet, eam intactam Abrahæ restituit, multisque donis cumulavit. Nascitur inde filius illi à Deo promissus, quem Isaac nominavit, & octavo die circumcidit. Cumque idem ablactandus esset, magnum instruit convivium: in quo Ismael, quem ex Agar ancilla susceperat, cum Isaac filio suo illuderet, utrumque, & Ismael, & matrem ex consilio Saræ ablegat. Deinde expo-C stulans Abraham cum Abimelech de puteo ab illius servis vi occupato, fœdere amicitiæ inter se percusso, locum vocavere Bersabee, id est, juramenti puteum, ibique Abraham lucum plantavit, nomenque ibi Dei immortalis invocavit, atque diu commoratus fuit.

His rebus peractis, tentavit Deus Abraham: jubet enim, ut unicum filium Isaac, quem habebat, quique annum vigesimum quintum, teste Josepho, agebat, & ex quo illi stirpem innumerabilem promiserat, sibi in monte Moria, qui posteà Sion dictus, & in quo David templum constituit, immolaret. Hic itaque nihil diffisus, sed cogitans Deum, vel ex mortuis progeniem excitare posse, aram exstruxit, & dispositis in eadem lignis, cultro manum admovit, ad filium immolandum: at ecce Angelus, qui puero manum adferre vetat, & conspiciens pone arietem cornibus in dumo hærentem, comprehendit, & pro filio immolavit. Moritur ejus conjux Sara, cum vixisset annos vigintì septem supra centum, in Cariatharbe, sive Hebron, eamque sepulchro condit in duplici spelunca, quam sibi ab Ephron Hettæo coemerat. Aliamque uxo-D rem superinduxit, nomine Ceturam: ex qua filios alios quoque sustulit. Ac postquam centum septuaginta quinque complevisset annos, peracta feliciter ætate, maturaque senectute, vita emigravit. Eum ejus filii Isaac, & Ismael sepeliverunt in eadem duplici spelunca, ubi Sara sepulta erat. *Ex Parerge. Abr. Ortelii. Lab. peculiari de peregrinatione Abrahæ, & colligitur ex Genes.*

Isaac Abrahæ filius, mortuo dudum patre, post eam sterilitatem, quæ in diebus Abrahæ acciderat, abiit ad Abimelech Regem Palæstinorum, in Gerara. Non illum, ad quem diverterat aliquando pater, sed illius filium. Cùmque jurgia quotidie fierent inter pastores Isaac, & Palæstinos, discessit, & abiit in Bersabee, *Gen. c.* 25. Mortuusque est anno ætatis 180. in Hebron. Jacob autem ejus filius accepta benedictione paterna, frustrato de ea fratre Esau, ex consilio matris abiit in Mesopotamiam, cùm esset annorum 77. & pervenit in Haran ad Laban, cui servit pro Lia, & Rachel annis 14. *Genes. c.* 27. & 26. Inde post varias injurias à Laban totis annis 20. toleratas, clam fugit cum tota familia in Chanaam: quem Laban insequitur, & cum eo in Galaad fœdus iniit. *Genes. c.* 30. Dein habitavit in Socoth, & Salem, empto agro à filiis Hemor, in quo erexit altare, & invocavit ibi nomen Domini, anno ætatis 67. postquam annis 10. fuisset peregrinatus. Porro venditio à fratribus Joseph, atque in Ægypto translato, postquam fratres eum vivere nuntiassent, & dominari toti terræ Ægypti, quasi de gravi somno evigilans, eò concessit, cum omnibus, quæ habebat, ubi in gentem magnam, juxta ea, quæ illi Deus revelarat, evasit. Erat autem annorum 130. quando in Ægyptum abiit ad filium, & expletis aliis 17. annis mortuus est, ejusque corpus tandem translatum in Chanaam. *Gen.* 47. & 50.

Etiam Joseph à fratribus venditus cùm esset dumtaxat annorum 16. in Ægypto servivit annos 13. nisi quòd ultimis tribus fuerit in carcere. Deinde annis 80. dominatus fuit universæ terræ Ægypti, in eaque vita hac defunctus est, anno ætatis 110. quà diluvio 653. à mundi exordio 2310. *Gen. cap.* 37. & 50.

APOSTOLI.

Anno Domini 34. Hierosolyma Damascum venit S. Paulus, inde in Arabiam abit, Damascum rediit, deinde Hierosolymam triennio post conversionem 15. diebus apud Petrum F mansit.

Unde Judæos fugiens, Cæsaream Phœnices venit, inde Tharsum, hinc à Barnaba adductus Antiochiam Syriæ, ubi annum unum agunt, atque hic Petrus à Paulo reprehensus videtur, dein simul Hierosolymam mittuntur in subsidium contra venturam famem. Accedunt ad Ecclesias per omnem Judæam, & implcto ministerio injuncto, Hierosolymam redeunt, interca temporis Petrus ab Herode captus, ab Angelo liberatur. Redeunt Antiochiam Syriæ, unde missi in opus Evangelii, Seleuciam eunt, assumpto Joanne Marco, hunc per mare Salaminam Cypri, terra Paphum, mari Pergam Pamphiliæ, ubi Joannes ab eis Hierosolymam discedit Antiochiam Pisidiæ, Iconium Licaoniæ, unde fugiunt Lystram, deinde Derben superiorem, oppida Lycaoniæ; Lystram redeunt, Iconium Antiochiam Pisidiæ, peragrataque Pisidia Pergen Pamphiliæ; Attaliam Pamphiliæ, mari Antiochiam Syriæ, per Phœnicen, Samariamque cum Tito Hierosolymam redeunt, ubi anno Domini 48. concilium Apostolorum habitum est super circumcisione, & G lege Moysi.

Antiochiam Syriæ redeunt, hic Paulus discors cum Barnaba, eo relicto Silam in socium accepit, perambulantes autem Syriam, & Ciciliam veniunt Derben, ubi Timotheum adsciscit Paulus, hinc superiores urbes Licaoniæ per Phrygiam perque Galatiam in Mysiam veniunt, deinde Troadem Alexandriam cognomine, per Samothracen Insulam, perque Neapolim Philippos Macedoniæ, Amphipolim, Apollioniam, Thessalonicam, Berrhæam, hic reliquit Silam, & Timotheum, mari Athenas, deinde Corinthum anno nono Claudii, Domini 51. sedit hic annum, & menses 6. hinc cum Priscilla, & Aquila Roma fugatis navigat Lenochreas, deinde Ephesum, ubi manet Priscilla, & Aquila; hinc solvens navigat Hierosolymam propter festum Pentecostes.

Cæsaream abit, deinde Antiochiam Syriæ, ubi aliquantulum temporis mansit, atque hinc perambulans ex ordine Galatiam, ac Phrygiam pervenit Ephesum, ubi ut minimum mansit annos duos, & menses tres. Inde anno Claudii 12. Domini 54. in Cræciam seu Hel- H ladem, in Macedoniam, Philippos Macedoniæ anno Claudii 13. sub festum Paschæ, inde per mare Troadem Alexandriam cognomine, terra Assum, mari Mytilenem, quæ est Insula Lesbo, sequenti die venit contra Chium Insulam, postridie Samum appulit, deinde commoratus Trogilii è regione proximo venit Myletum, ubi valedicit presbyteris Ephesis ad se vocatis, post hæc Coum venit, sequenti die Rhodum, inde Pataram, hinc Cypro à sinistris relicta, & præternavigata, Tyrum, ubi septem diebus mansit, inde navigio Ptolomaidem, manet hic unum diem, postridie Cæsaream Palæstinæ, ubi in domo Philippi Evangelistæ manet dies complures: hic Agabus prophetat Paulo captivitatem; tandem Hierosolymam venit; ubi apprehensus est anno Claudii 14. Dom. 56.

Missus à Tribuno Claudio Lisia Antipatridam, sive Cæsaream Palæstinæ ad Præsidem Felicem, hic ad Cæsarem appellat. A Sidone igitur præternavigans Cyprum per mare Ciciliæ, & Pamphiliæ venit Myram Liciæ, deinde contra Gnidum, & prætterlegens Salmonem (quod alii Samonium vocant)

Cretæ promontorium, appellit Pulchri portum, deinde
A Phœnicen portum itidem Cretæ, Clandam Insulam, & per Adriaticum mare in Melitam Insulam venit, hinc Syracusas Siliciæ oppidum, Regium Calabriæ nunc vulgò *Rhezo* dictum, puteolos Campaniæ opp. nunc *Pozolo*, unde tandem itinere terrestri per forum Appii secundo anno Neronis Romam pervenit, ubi biennio in libera custodia fuit. Posteà dimissus à Nerone diu Romæ, & per Italiam Christum prædicavit. Sunt qui putant solùm vinculis Galliam, & Hispaniam adiisse. Denique rursus à Nerone captus ultimo ejus Imperii anno, qui Domini erat 70. Romæ interficitur. *Colligitur ex Actis Apostol. & vita illius à variis descripta.*

Peregrinationes aliorum Apostolorum, qui quas Regiones peragraverint, & ad fidem adduxerint. ☞ *Vide in loco de Apostolis latè.*

REGES, PRINCIPES.

Mithridates rex, cum quo Romani bellum gessere, ubi regnum adiit, de eo non regendo solum, sed augendo etiam primum omnium cœpit cogitare, vicitque primus omnium finitimos Scythas, gentem ad id tempus invictam. Pontum
B inde, mox & Cappadociam, omnemque Asiam ignoto habitu peragravit. Urbium situm, ac statum diligenti cura perscrutatus est. *Sab. lib.2. Enn.6.*

Germanicum Cæsarem incredibili cupiditate veteres locos, & famæ celebres visendi, Græciam, Thraciam, oram Asiæ, & ipsas demum Armenias peragrasse, *Tacitus* scribit. Nec satis erat vidisse Asiam, in Ægyptum profectus est: idque ut justa causa facere videretur, curam provinciæ prætendit, cùm revera antiquitatis cognoscendæ gratia illuc transisset.

Adrianus Imp. omnes Rom. pop. provincias invisit. Nec quisquam Rom. principum tam brevi tempore tantum terrarum peragravit unquam. Dicitur sub ejus in Africam appulsum assatim pluisse, cùm toto anteà quinquennio cecidisset nunquam è cœlo imber. Fuit proinde ejus accessus Aphris gratissimus. Siciliam petit, Ætnæ miracula contemplaturus. Quod ut commodius faceret: montem ascendit, invisitque craterem ex proximo. Permensus Arabiam ad Casium montem pervenit, ut ex ejus vertice, tertia noctis vigilia, orientem Solem intueretur. *Spartian. & Sab. lib. 4. Enn.7.*

C Rodulphus rex Sveonum, & Gothorum, principum vanam felicitatem cum gravissimis curis æqua lance expendens, assumptis comitibus, regnoque relicto, Germanicas, & Vandalicas terras perlustravit, & peragrata Græcia, tandem ad Gothos in Italia regnantes pervenit, de quo Jordanes Gothus scribit, cum in Scandia rex esset, contempto proprio regno, ad Theoderici regis Gothiorum gremium convolasse. *Jo. Magnus l.8. cap.* 32.

Lusitaniæ regis Filius, audito Sigismundi Imper. & Ung. regis nomine, in Ungariam profectus, & ab Augusto illic hybernare coactus, cùm flantem glacie Danubium onustis curribus viam præbere vidisset: ut summum naturæ miraculum, ad patrem, multosque regulos id scripsisse dicitur. *Bonfinius lib.3. Dec.3.*

* Uladislaus Sigismundi III. Poloniæ Regis filius, Princeps forma, & indole imperio digna, post memorabilem victoriam de Turcis partam, celebriores Europæ regiones lustravit, & mense Septembri 1624. in Belgium venit, honorificè utrobique acceptus.

D *Legislatores.*

Lycurgus Charilai nepotis sui ex fratre Polydecte tutor, cùm regnum Spartæ ei tradidisset, invidiam adversariorum declinans, peregrinationem instituit, in Cretam primùm, ubi leges Cretensium cognovit, mox in Asiam, ut Jonum mollitiem cum Cretensium austeritate conferret, ubi versus Homeri, qui apud Cleophili posteros asservabantur, primùm legit, & Spartæ vulgavit, Ægypto peragrata, atque etiam (ut asserit Aristocrates) Africa, Hispania, & India. *Plut. in Lycurgo.* In Cretam profectum, inquit *Strabo lib.* 10. Thaleti musico, & jurisconsulto consuetudine sese devinxisse tradunt, à quo doctus fuit: quonam modo primùm quidem Rhadamanthus, deinde Minos leges à Jove ad mortales ederet: Tum in Ægypto versatum gentis illius jura didicisse: adventantem deinde Chium cum Homero (secundùm quosdam) colloquium habuisse: rursum in patriam redisse, ibique Charilaum nepotem imperantem reperisse: posteà ad ordinandas leges incitatum, Apollicum Delphicum adisse, & inde instituta deferentem, Minojum in morem è Jovis antro magna ex parte similia promulgasse.

Quia perlatis legibus adibant indies aliqui Solonem, qui vel laudarent eas, vel obtererent, vel monerent, ut E
tabulis intexeret, vel demeret, quod cuique in mentem veniret: importunitatem subterfugeret, & querimonias civium ad speciem peregrinationis munus naucleri prætexens, impetrato à populo Atheniense, ut abesse sibi decennium liceret, navem conscendit: intereà fore sperans illis leges suas familiares, priùs tamen jurejurando adactis, nihil de legibus in suum usque reditum mutatum iri. *Herod. lib. 1. & Plut. in Solone.*

Philosophi.

Pythagoras Samius, patria relicta, primò in Ægyptum, & Judæam, sacris etiam Judaicis initiatus, & Caballisticis mysteriis degustatis mox Babyloniam ad Persarum magos, ad contemplandos siderum motus, originemque mundi spectandam, profectus est. Inde Cretam, Lacedæmonemque, ad cognoscendas Minois, & Lycurgi inclytas ea tempestate leges, contendit: quibus instructus, tanquam ex mercatura bonarum artium ad Olympicum certamen, inde Metapontum, & Crotonem venit: ubi suis monitis, præceptisque tantùm processit, ut populum in vitia lapsum, ad frugales mores, modestiamque revocarit. Ibique Architam primò, & Epicharmum, mox Philelaum, & Alemæonem, deinde Zenonem, F
Parmenidem, ac Lysiam suæ disciplinæ sectatores habuit: qui ejus monitis, doctrinaque imbuti, divina mente, & consilio viri evasere, lumenque, & ornamentum suæ reipublicæ fuere. *Alex. lib.1. c.30.* Cum multiplici scientiæ maximam toti Græciæ admirationem, ac specimen exhibuisset, quis esset, à Leone tyranno rogatus: non σοφὸν, sed φιλόσοφον se esse respondit. *Val. Max. lib.8. c.7. Plin. l.25. c.2.* etiam herbarum gratia eum peregrinatum scribit.

Anaxagoras Clazomenius post diutinam peregrinationem patriam repetens, ubi possessiones suas desertas vidit. Non essem (inquit) ego salvus, nisi istæ periissent. Nam si prædiorum potiùs, quàm ingenii culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos rediisset. *Val. lib.8. cap.7.*

Anacharsis philosophiæ studio (præter communem Scytharum morem) accensus, relicto fratri suo Scythiæ regno, venit in Græciam, & apud Solonem in magna fuit admiratione. *Ælian. de Var. hist. lib.5.*

Democritus Abderites, mortuo patre Damasippo (qui G
Xersis exercitui epulum dare potuit) reliquas opes duobus reliquit fratribus: ipse solummodo pecuniam, quæ ad viaticum sufficeret, accepit, & primùm ad Ægyptios sacerdotes disciplinæ causa profectus est, mox ad Chaldæos, & Gymnosophistas, postremò Athenas ad Socratem, ignotus omnibus reversus, ut ea, quæ hauserat sapientiæ semina absque ullo impedimento facilius excolere posset, oculos sibi eruit: nimirum ut animo cerneret, parvi jacturam oculorum fecit. *Ælian. lib. 4. Laert. in ejus vita. Plin. lib.25. c.2. Gellius lib. 10. c. 17. Cic. lib.5. de Fin. Fulg. lib.8. cap.7.*

Plato patriam Athenas, præceptorem Socratem sortitus, & locum, & hominem doctrinæ fertilissimum, ingenii quoque divina infructus abundantia, cùm omnium jam mortalium sapientissimus haberetur, eò quidem usque, ut si ipse Jupiter cœlo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur, mortuo Socrate (*Val. lib.8. c.7. Cic. de Rep.*) Ægyptum peragravit: ubi à sacerdotibus Geometriam, & Astronomiam percepit. Inde in Italiam transgressus est, ut ab Archita Tarenti, à Timæo, & Arione, & Ceto Locris, Py- H
thagoræ præcepta, & instituta acciperet. Apud Gymnosophistas libros Moysis legisse creditur. *Volat l.18. Auth. Laert.* tradit, in Italiam primùm ipsum venisse, ut Philolaum, Eurytumque Pythagoreos audiret: indeque in Ægyptum ad prophetas se contulisse. Idem tamen narrat, antequam in Italiam veniret, Cyrenas navigasse, Græcorum oppidum in Africa, Theodori mathematici fama accusatum: quorum anteà studiorum desiderio captus, post interitum Socratis una cum reliquis Socraticis viris ad Euclydem Megara accesserit. *Victor. l.21. Var. lect. c.18.*

Hellespontius Galata, sive Gallus, propemodum inhabitatas orbis partes accessit, Juliano imperante, exquirendi studio, si quem fortè doctiorem se reperire posset. Petiit quoque vetustam Lydiæ urbem Sardeis, ut Chrysanthii sophistæ colloquio frueretur. *Eunapius in ejus vita.*

Jo. Picus Mirandula relicto Juris Canonici studio, ad philosophiam se contulit, ejusque adipiscendæ gratia, non tantùm Italiæ, sed & Galliarum gymnasia septennio integro perlustrans, celebres Doctores tempestatis illius perquirebat, operâ

adeò

adeò indefessam studiis impendens, ut consummatus simul, & A
theologus, & philosophus imbetbis adhuc & esset, & haberetur. *Jo. Franciscus in ejus vita.*

MAGI.

Apollonius Tyaneus Asiaticus philosophus sub Vespasiano, & Tito Impp. Persas, Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas prætergressus, in Indiam penetravit: ac Physonte omne superato, ad Brachmanes pervenit, & ab Jarcha Brachmanum principe permulta didicit. Inde autem per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Parthos, Assyrios, Phœnicas, Arabes, atque Palæstinos in Ægyptum, omnibus aliis in omni scientiarum genere doctior, regressus est. Sed ne tunc quidem extincta hauriendarum scientiarum siti, in Æthiopiam ad Gymnosophistas transivit: ubi eorum principem Thespesionem audivit. Tunc discendi sibi modum ponens, cum aliis vivere desiit, pane, verbisque, ac simul aqua tantùm vescebatur, ut ingenio ad discendum promptior esset. Paternas autem opes, quæ satis magnæ fuerunt, non stultè, quemadmodum Crates Thebanus, in mare projecit, sed parte fatri tradita quod superfuit pauperibus, qui propinquitate aut amicitia juncti essent, distribuit. Itaque minimè mirum vi-
B ri debuit, si philosophus, atque magus, alios doctrinæ magnitudine superarit, adeò ut illa, quæ ab ipso fierent, præ admiratione mortalium mentes vix caperent, atque ob id eum numen habere crederent: essentque permulti impiorum, qui ea, quæ præstigiator Apollonius supra communis naturæ cursum gereret, Redemptoris nostri miraculis anteferre auderent. *Fulgos. lib.8. cap.7.*

Empedoclis Agrigentini similem peregrinationem, *Plinius lib.30. cap.1.* ubi de Magiæ auctoribus loquitur, tradit.

MEDICI.

Hippocrates Cous paulò antè Peloponnesiacum bellum, cùm Medicinam præceptis indigere intelligeret, varias peregrinationes suscepit: & historias morborum, quæ in Coo insula in Æculapii templo, tum & in reliquis templis deorum anathematum loco in tabellis descriptæ suspendebantur, exscripsit: omnesque observationes in unum colligens, primus fuit, qui artis medicæ præcepta generalia tradiderit. Cui rei attestantur libri Epidemiorum. Atque ut divino numine rem
C tantam susceperit: ita nullus adhuc inventus est, qui ejus gloriam adæquare, nedum superare potuit. *Plinius lib. 29. c.1. & Soranus in ejus vita.*

Dioscorides Anazarbæus, M. Antonii, & Cleopatræ reginæ Ægypti medicus, & eques, cum herbarum, & metallorum vires scriberet, non famæ credere, sed in omnibus graves auctores legere, atque magna ex parte eorum omnium longinquis peregrinationibus castra secutus periculum sacere voluit. *Fulg. lib. 8. cap.7. ex proœmio commen. de stirpibus.*

Galenus Pergamenus parentis liberalitate sumptus in studia maximos fecit. Smyrnæ Pelopem audivit, Numesianum Corinthi, Alexandriæ quoque diù commoratus est. Ea relicta, ad Palæstinam Syriæ exhortandi opobalsami gratia, & bituminis Judaici inspiciendi contendit. Navigavit etiam in Lemnum insulam, ut quæ de terra Lemnia tradebantur, verane essent, præsens inspiceret, & ipsius copiam secum auferret: primùm cùm ex Asia Romani Imperatoris jussu proficisceretur, quo tempore tamen, non ad eum, ubi terra Lem-
D nia reperitur, locum à nauclero deductus est: itaque ad suum in Asiam reditum distulit: secundò cùm se in Asiam recipe- H
ret, ad eam, quam voluit, Lemni partem pervenit. *lib.9. de Simpl. med. fac.* Item in Cyprum, inde inspectis metallis, cadmiam, pompholygem, diphryges, aliaque plurima in usum Pergamenium avexit, imprimis verò ingentem chalcanthi copiam. Sed & Lyciam aliquando, sola rerum investigatione allectus, parvo prætervectus est navigio totam. *Comm.3. in Hipp. lib. de victis in morbis acutis*, scribit se vinum aquosum, id laudans pro febrientibus, passim reperisse in Cicilia, Phœnicia, Palæstina, Scyro, Creta, Ægypto, & aliis, quas peragrarit regionibus omnibus.

Paulus Ægineta Medicinæ studio peregrinatus est. Id quod ex senario præfixo ejus operi videre licet.

πολλὰ πάσας μὲ γνῶσι, καὶ γῆς καὶ πλόον
διεδυσωμένος, φίνοις ἐκ τῶν αἰγίνης.

Constantinus Afer per XXXIX. annos peregrinatus medicinę, & philosophiæ causa. *Vide Tit. Monacborum sæculi undecimi.*

POETÆ.

Homerum omnis Philosophiæ parentem ad Ægyptios profectum legimus, ut multa ab eorum sacerdotibus perciperet, varios ritus, & mores hominum investigaret. *Diod. Siculus lib.1. cap.2. de Rebus ant.* Utque poesim suam in locorum descriptionibus (in Bœotia enim totam descripsit Græ- E
ciam) & rerum gestarum enarrationibus, quam jam animo præconceperat, absolvere posset; peregrinandum sibi putavit, ut mores gentium, & urbium, regionumque situs oculata fide cognosceret. *Vide Tit. Mercatorum.*

Con. Celtes Germanus poeta, peregrinationis avidissimus discendi gratia fuit, totam Germaniam, & ejus quindecim publica gymnasia perlustravit. Primus patriæ linguæ suæ terminos ad quatuor latera conspexit. *Sodalitas literaria Rhenana in ejus vita.*

HISTORICI.

Herodotus Halicarnasseus, ut historiam Græcorum, & Barbarorum diligenter, & fideliter scribere posset, Ægyptum perlustravit, cum sacerdotibus eorundem versatus est, Babylonem addiit, Persidis mores, & urbes inspexit: ut videre licet ex iis, quos nobis Musarum nomine inscriptos reliquit, commentariis.

Archestratus universum terrarum orbem ob gulam, ventrisque voluptatem peragravit, ut ea monumentis literarum traderet. *Athen. lib.3. cap.19.* F

Diodorus Siculus triginta annos, dum orbis terrarum historias scribendo complecteretur, consumpsit. Et ne in iis erraret, in quibus permultos errasse cognoverat, magno suo incommodo, majorem Asiæ, atque Europæ partem perlustravit, ut ipsemet in proœmio suæ Bibliothecæ testatur. In Ægyptum profectus, ut populi antiquitates penitus intelligeret; comperit omnem, quæ de Ægyptiis haberi poterat, historiam, tribus annorum millibus ac septingentis comprehensam, idque testatus est *lib.* 11. ubi refutat Ægyptiorum mendacia, qui ut generis antiquitate cæteris præstare viderentur, trium, ac triginta millium annorum antiquitates se habere prædicabant. *Joan. Bodinus Meth. hist. cap.8.*

Sallustius, ut Jugurthinum bellum verius scriberet, in Africam usque navigasse dicitur.

Pausanias Cæsariensis Cappadox μάγειρος dictus, quanto studio, labore, & diligentia in veteris Græciæ monumentis, locis, regionibus, consuetudinibus investigandis, & oculata fide cognoscendis usus fuerit, testantur Commentarii illius doctissimi, decem libris comprehensi, quibus totius G
Græciæ topographiam simul, & historiam luculenter persequitur: ut plus nè eruditioni, an diligentiæ, laboribusque illius tribuendum sit, æquus lector meritò dubitare queat. *Philostratus in ejus vita.*

COSMOGRAPHI, GEOGRAPHI.

Ptolemæus Geographus, ut fide, & certitudine omnes alios superaret, periculosissimis itineribus, & navigationibus maritima loca investigavit, magno quidem labore, maxima tamen, & nunquam interituro nominis sui gloria, atque fama.

Andalonus Genuensis, Negrona gente ortus. Astronomiæ studiosus, penè totum terrarum orbem peragravit, ut climatum, locorumque horizontes veterum normæ, ac regulis æquaret. *Fulg. lib 8. cap.7.*

Christophorus Longolius historiæ naturalis causa in Galliam Narbonensem profectus est: Geographiæ gratia Europam ferè totam, quæ Christianis paret, perlustravit. *Auctor. vitæ.*

MULIERES.

Nicaula regina Æthiopum ab intimis regni finibus Hierosolymam profecta est, ut Salomonis sapientiæ particeps red- H
deretur. *Liber Regum.*

Paula Romana Hierosolymam peregrinata, Bethlehemæ cœnobium erexit. *Vide Tit. Monacborum.*

CUR PERREGRINARI CAUSA LINGUÆ.

Andreas Alpagus Bellunensis Medicus in Syriam navigavit, ibique per triginta, & ampliùs annos commoratus, linguæ Arabicæ, Damasci operam dedit, & non pauca Arabum volumina, & inter Avicennæ quoque opera, in Latinam sermonem convertit. *Nicolaus Massa in vita Avicennæ.*

Nicolaus Clenardus *Vide Titul. Inventionis facilis, & ingeniosæ.*

STUDIORUM, DOCTRINÆ.

Minos Cretensium rex Athenas Philosophiæ causa Androgeum filium misit. Quem cùm invidia Athenienses sustulissent, Minos victis hostibus memorabile illud, & crudele tributum imposuit, in quo abolendo Theseus præclaram patriæ navavit operam. *Plut. in Theseo.*

Solon in Ægyptum profectus, cum Psenophe Heliopolita,

& Son-

& Sonche Saita inter sacerdotes literatissimis; in contemplan-
A da egit sapientia: ex quibus audivit, ut Author Plato est, sermonem Atlanticum, quem versibus apud Græcos exorsus est explicare. *Plut. in Solone.*

Cyrsas Chius Athenas venit, Socratis consuetudine usurus, qui paulò ante cicutam biberat, cui juxta sepulchrum dormienti, in somniis visus, atque locutus est. Itaque statim abiit ille, hoc tantùm fructu capto ex Philosopho. *Suidas.*

Clearchus junior è Ponto Athenas profectus est, ut Platonem philosophantem audire posset. *Suidas.*

Philiscus Athenas profectus Diogenis fit auditor. *Vide Tit. Auditores diligentes.*

Apud Diogenem Laertium legimus, in Ægyptum navigasse Eurripidem cum Platone, ad prophetas, & sapientes, & sacerdotes: ubi fortè, cùm nescio quo casu ægrotaret, marina est aqua à sacerdotibus pristinæ restitutus valetudini: unde posteà ipse in Iphigenia Aulidense, Hominum (inquit) procellosum mala abluit mare:

θάλασσα κλύζει πάντα τ' αἰθρώπων κακά.

Gyraldus in hist. Poetarum.

B HORATIUS *lib.2. Epistolarum ad Florum* inquit:

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles
Adiecere bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter sylvas Academi quærere verum.
Dura sed amovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.

Augustus Cæsarem avuculum in Hispaniam secutus, per annum princeps equitum cum eo mansit. Paulò post Apollonium Epiri urbem nobilissimam præmissus est, quoniam adolescens adhuc esset, ut literis vacaret, & in militia simul instrueretur. *Suetonius.*

Severus Imp. puer etiamnum studiorum causa Romam profectus, ab hospitis sui lectione omen cepit imperii. *Vid. Tit. Omina Imperii.*

Julianus Imp. philosophiæ causa Pergamum profectus est ad audiendum Ædesium: hinc magiæ studio Ephesum contendit ad Maximum, & paulò post ad antistitem Eleusinium.
C *Eunapius in Maximo.*

Porphyrius è Tyro Romam venit, ut Plotini sapientia frueretur. *Eunapius.*

Proræsius è Cæsarea Cappadociæ, adolescens fama Ulpiani Rhetoris permotus, relicta patria Antiochiam venit: & cum eo parvo post tempore Athenas profectus sub Juliano sophista adeò profecit, ut primus inter auditores esset. *Eunapius in ejus vita.*

Theodorus, qui posteà Gregorius appellatus est, Neocæsareæ Ponti Episcopus, admodum adolescens, ob studia Græcarum, & Latinarum literarum ex Cappadocia Serytum, & Cæsaream Palæstinæ migravit, juncto sibi fratre Theodoro. *D. Hieronymus.*

D. Hieronymus Stridone oppido in Istria natus, quatuor Ecclesiasticorum doctorum unus, ceu alter Plato, aut Pythagoras, doctrinam per totum terrarum orbem secutus, Syriam, Judæam, atque Ægyptum peragravit, ut ea oculis suis prius lustraret, de quibus posteà scripturus erat. *Fulgosus lib.8. c.7.*

D Thomas Aquinas relicta patria, insignique cognatione (originem enim è comitibus Apuliæ ducebat) Coloniam pergens ut Albertum Magnum audiret, tantum profecit, ut post aliquot annos apud Parisios primum in doctrina locum tenuerit. *Platina in Urbano 4.*

LIBRORUM, BIBLIOTHECARUM.

Plutarchus Lacedæmona profectus antiquissimos rerum Laconicarum scriptores conquisivit, ut verius, ac melius scriberet. *Joan. Bodinus Methodi histor. cap.6.*

Leo Philosophus Imper. scientiarum rudimentis à Michaele Psello instructus, neque tantum quantum desiderabat adeptus, monasteria pervagatus est, libros in iis repositos perquirens, atque servans, sic ut ad summum doctrinæ fastigium evaserit. *Cedrenus.*

Severus sophista Romanus, sub Anthemio, in Arabiam è Syria, & Palæstina venit, & in Egyptum superiorem navigio per Nilum ascendit, eamque totam perlustravit. Æthiopiæ confinia propter pestilentiam ingredi non potuit. Is neque divinarum, neque humanarum rerum quidquam imperveſtigatum reliquit, & libros arcanos omnes, quos repeſſire potuit, ex omnibus adytis sustulit, & Alexandri monumento inclusit, quò nec corpus ejus quisquam cerneret ampliùs, neque libris inscripta legeret. *Suidas.* E

TERRAS LUSTRANDI.

Trajanus à bello Partico variis periculis in mari jactatus cum Oceani naturam investigare accuratè niteretur, navigantes fortè in Indiam conspicatus: Utinam (inquit) juvenis essem, virèque, ac robur suppeterent! profectò in fines Indorum penetrarem. Indicas enim res agitabat animo, earumque magno tenebatur studio, multa de gentis victu, & vestitu paulò curiositiis scisciatus: nisi morte, & victarum gentium rebellione impeditus fuisset. *Cuspinianus. A.D.*

Pius II. Pontifex Maximus Iustrandi orbem adeò cupidus fuit, ut aliquando dederit calumniæ locum. Et legationem quidem Scoticam non invitum suscepisse constat. Britanniam verò itinere obliquo, & unde circumspicere multa posset, obiisse, dissimulata veste Londinum ingressum: voluisse etiam ad Orcades navigare, sed deterritum malè toties tentato mari, dixisse tritum illud: Plusquam temerè Neptunum accusare, qui tertiò jactetur. *Campanus in ejus vita.* F

Lusitaniæ Rex Joannes secundus, ardebat cupiditate incredibili Indicæ regionis penitiis explorandæ. Cùm vero accepisset, esse quendam Christianum Imperatorem mira sanctimonia præditum, qui Indias imperio contineret, eumque Presbyterum Joannem appellari, & cerneret sæpenumero sacerdotes Christianos Æthiopas, qui Romam venerant, & Galliam, Hispaniamque peragrabant: suspicari cœpit, eos ex ea Indiæ parte profectos esse, in qua Presbyter ille Joannes (summum enim sacerdotium cum imperii regii majestate obtinere dicebatur) regnum possideret. Igitur existimavit sibi, vel ad nominis decus, vel ad religionis fructum, vel ad Indiæ perveſtigandæ facilitatem, nihil optatius cadere posse, quàm cum hoc Christiano principe fœdere conjungi. Idcircò variis temporibus homines Arabicæ linguæ peritissimos magnis præmiis invitavit, ut eas regiones perlustrarent. Inter hos extitit quidam nomine Alfonsus Paiva, & alter, cui nomen erat Joannes Petrejus. Hi profecti è Lusitania anno MCCC. LXXXVI. Ægyptum mercatorum habitu peragrarunt, atque inde Adenam urbem Arabici finis pervenerunt. Ibi cùm intellexissent, in ea Æthiopiæ parte, quæ sub Ægypto est, esse summum quendam Principem Christianum, cujus imperium esset latissimum, & cui multi Principes obtemperarent, suspicati sunt, illum eundem esse, cujus cognoscendi gratia missi à Joanne fuerant. Sed eos Indiæ nomen interturbabat. Missi namque fuerant: ut Christianum Indiæ Imperatorem, nomine Presbyterum Joannem convenirent. At nec imperium, neque nomen, neque sacerdotii dignitas in Æthiopiæ regem conveniebat. Petrejus ergo peregrinationem in Indiam suscepit: sed absque fructu revertitur, & mortuo interim Thebis Ægyptiis Paiva, ad Æthiopiæ Imper. se contulit. Rex Alexander appellabatur: qui Joannis litteris lætitia incredibiliter elatus est. Petrejumque singulari humanitate tractavit. Ei frater quidam illius, Nau nomine, in regnum successit, à quo nunquam Petrejus impetrare potuit, ut sibi in patriam redire liceret. Hoc rege defuncto, filius illius, cui David nomen erat, etiamnum puer, rex creatus est: qui tamen in eo perseveravit, ut nullo modo Petrejum regni sui finibus abire permitteret, quod fructu prudentiæ, & sagacitatis illius carere H nollet. Igitur cum redicum in patriam omninò desperaret, uxorem duxit, & filios ex ea suscepit, stabilemque sedem in illa regione necessariò collocavit. Sed progressu temporis cum Vascus Gama primùm in Indiam iter aperiret, & fama nominis Lusitani per omnes illas oras cum hominum admiratione vagaretur: David ex Petrejo intellexit, gentem eandem esse, à cujus ipse Rege missus fuisset: Ergo legatum misit ad Emmanuelem, Matthæum quendam Armenium. Qui posteàquam Olyssipponem venit, literas Helenæ reginæ (Davidis aviæ, in cujus ille tutela erat) quinque bullis aureis consignatas Regi detulit, deinde crucem è ligno Crucis, in qua Christus pro generis humani salute mori sustinuit, Regi, nomine Principis sui, donavit. Hanc Emmanuel obortis lachrymis venerabundus accepit, summasque gratias Deo egit, quod in longinquis illis regionibus, hostium immanitate vastatis Christianæ religionis, & pietatis semina conservasset. Alteras deinde literas arundine aurea inclusas eduxit, quas David rex ad Emmanuelem dederat, Arabica & Persica lingua conscriptas *Osorius lib.9. rerum Emmanuelis.*

RELI-

RELIGIONIS, PIETATIS.

A ☞ *Vide Titulum, Peregrinationis sacræ, Infrà.*

Quantus fuit Magorum ardor, Christum opt. max. cujus stellam in Oriente viderant, coram alloquendi, eique tanquam verè Deo, veroque homini munera offerendi? Non labor itineris, non sumptus, non pericula illos deterruere, sed omnes fortunas suas neglexere, ut regem Judæorum, humani generis solem, aspicerent. *Matth.2.*

Pauli Apostoli incredibilem in propagando Evangelio ardorem longinquæ, eæque periculosissimæ peregrinationes testantur. Sortiti sunt discipulorum alii alias orbis terrarum provincias. At Paulus gentium Doctor de universo orbe opima spolia Christo opt. max. retulit, & cum eodem æternum triumphabit.

Hunericus Vandalorum rex, Arianæ sectæ addictus, infensè Orthodoxam fidem infectatus est. Quæ res peperit illi connubii dissidium: Eudoxia Valentiniani III. uxor, five soror, olim veræ pietatis cultrix, viri impietatem pertæsa, vorum simulans Hierosolymam petiit, ubi posteà vitam cum morte
B commutavit. *Sab. lib.2. Enn.8.*

Monica D. Augustinum filium Mediolani, oratoriam docentem, ex Africa usque secuta est, ut ejus à Manichæorum hæresi per D. Ambrosium Episcopum retrahendi viam reperiret. *Testis ipsemet lib.6. Confess. c.1.* F

MARTYRII.

Sebastianus martyr, Mediolanensis patria, cùm vel jam discessisset persecutor, vel nondum venisset, vel mitior esset, adeòque in patria, aut nullum esse, aut tepere martyrii certamen animadverteret, Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutiones acerbæ fervebant: ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. *D. Ambrosius ser.20. in Psalm.118.*

VITÆ, SALUTIS.

Cæso Tib. Graccho, Senatus ad leniendum dolorem his, agrorum divisionem impugnare destitit, facta illi potestate alterius in Gracchi locum eligendi, qui agros cum duobus aliis plebi assignaret. P. Crassus est illi substitutus. Sed nec sic quoque plebs dolori suo temperare potuit: oderat infensè senatum, sed omnium maximè P. Scipionem Nasicam, cædis Tiberianæ auctorem, maledictis propalàm incessere, præteruentem execrari, ut impium abominari, quòd
C tribunitio pollutus esset sanguine. Et jam accusatores illius ad populum parabantur, periissetque sub tam infenso judice, nisi Senatus de ejus salute sollicitus, legationis prætextu in Asiam ablegasset, ubi haud multò post circa Pergamum fato decessit. Parum abfuit, quin & P. Scipio Africanus absens sit eadem invidia resperſus, atque favore populi destitutus, quòd ad primam Gracchanæ cædis famam Homericum illud pronunciaverit. Sic pereant, & qui moliri talia pergent. *Sabell. lib.9. Enn.5.*

SOBOLIS.

Thalestris Amazonum regina inter Phasin, & Thermodontem, CCC. Amazonibus comitata ad Alexandrum Magnum in Hyrcaniam profecta est, ut ex summo imperatore regina pulcherrima, & robustissima conciperet. *Diodorus lib.17.*

AMORIS EXCUTIENDI.

Propertius amoris causa peregrinari instituit *lib.3.*

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
D *Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,*
Illa alimenta sibi maxima præbet amor.

QUÆSTUS LUCRI.

☞ *Vide Titulum Mercatorum.*

QUOMODO PEREGRINATIO CONSIDERATA RESPECTU CONSILII. INSTITUTI. VEL VOLUNTARIA.

☞ *Ex præcedentibus petantur quædam exempla.*

Non voluntaria, coacta.

Capta Troja cùm in patriam navigaret Ulysses, ad littus Ciconum Thraciæ populorum tempestate delatus, multis è suis in prælio desideratis, solvere tandem ab illo littore coactus est. Rursùs in Africam tempestate delatus, ad Lotophagorum regionem appulit: ibi cum socii ejus loti fructum gustassent, patriæ obliti, ad naves non nisi coacti reverterunt. Inde delatus in Siciliam, Polyphemi antrum cum duodecim sociis intravit, liberioribus poculis invitatum excæcavit, & pellibus ovium indutus, cum superstitibus sex sociis ex antro inter oves clàm elapsus est. E Sicilia deinde ad insulam Æoliam delatus, ventos in utrem inclusos, præter Zephyrum, omnes accepit ab Æolo. At cùm sociorum avaritia, qui thesaurum E in utre inclusum credebant, reclusisset utrem, testantibus ventis acerbissimè ad Æoliam insulam denuò repellitur. Hic rursùs cùm frustra Æoli munus repeteret, repulsam passus, ad Læstrigones immanissimos Campaniæ populos Neptuni filios accedit, qui humanis carnibus vescebantur. Mox ad Æoliam insulam cursum tenuit, quo in loco Circe, venefica mulier, Solis filia habitabat. Hæc nonnullos è sociis Ulyssis, exploratum missos, in belluas convertit. Ad hanc Ulysses accessit sumpto molypharmaco, eaque strictò gladio socios primæ formæ coegit restituere. Cum hac annum versatus, filium suscepit Telegonum. Mox ad inferos descendit, ut è vate Tiresia, quæ sibi agenda forent, perdisceret. Inde reversus, ad insulam Sirenum delatus, aures sociorum cera illitas obturavit, seque ad malum navis alligari jussit, ne suavitate cantus victus perimeretur. Deinde Scyllam, & Charybdim pertransiens, non sine aliqua sociorum jactura in Siciliam rursus pervenit, ubi Solis filiæ paternos greges custodiebant. Socii eo dormiente oves mactarunt. Ob id scelus naufragio facto omnes periere: Ulysses unus malo navis arrepto ad Ogygiam insulam delatus, cum Calypsone nympha per septennium vixit. Domum rate repetens, non procul à Phæacia, Neptuni ira, Polyphemi filii cæcitatem ulturi, iterùm naufragus, in Phæacum littus ejectus, cùm Leucothoe tabulam illi subjecisset, Alcinoi regis benignitate xx. anno errorum vix tandem in patriam pervenit. *Homerus.* F

HABITUS, PUTA.

Dissimulata persona.

Ludovicus Vartmanus, patria Bononiensis, studio orbis terrarum cognoscendi, multas regiones peragravit, atque tandem sub mercatoris habitu, cùm se Saracenum esse simularet, Calecutium pervenit: & cùm se in familiaritatem eorum, qui plurimùm poterant, insinuasset, & consilia Regis exploravit, & quo animo classem ingentem compararet, quibus auxiliis se in nominis Lusitani perniciem sepiret, intellexit, & Lusitanos, ut sibi consulerent, opportunè monuit. *Osorius lib.4. rerum Emmanuelis.*

Joannes Medices Cardinalis Florentius ter improsperè tentata reditus fortuna excedere tantùm per Italia, & per externos populos, ut temporibus serviret, peregrinari constituit. Ita- G
que ab Alexandro VI. Pp. commeatu facile impetrato, cum Julo fratre patruele, & duodecim equitibus, deposita purpura, pari cultu cum cæteris, è Venetiis in Vindeliciam transcendit: pervagatusque est Germaniam singulari cum sua, tum comitum omnium hilaritate. Nam cùm personam dissimularet, & unus singulo quoque die, qui specie domini cæteris imperaret, ex corona forte crearetur, acerbitatemque præsentis fortunæ ingenti animo contemneret, nihil unquam se expertum jucundius, atque festivius ea vitæ libertate prædicabat. In Ulmam demùm Suevorum urbem pervenit, ubi cùm à magistratu honestè retineretur, non multò post, sub custodia ad Maximilianum Cæsarem est deductus, qui eum perbenignè suscepit, deditque insuper ei diplomata ad securitatem itineris, ac epistolas, quibus cum Philippo filio Belgarum regi obnixè commendabat. Inde in Morinos ad Oceanum perrexit, in Britanniam trajecturus, nisi comitum ingentes tum forte Oceani fluctus formidantium hortatu in Galliam deflexisset. Cùm Rotomagi ad ostia Sequanæ versaretur, Galli eum cepere, neque cum quanquam sese detegentem, ac Cardinalem esse profitentem, dimissuri erant, nisi Petrus frater, H
qui tum Mediolani Ludovico regi aderat, literas ad id impetrasset. Ab Oceano demum per totam Galliæ latitudinem Massiliam delatus in Italiam rediit. *Jovius in Leone X.*

MOTUS.

Cajus Cæsar expeditione Germanica suscepta, cùm interdum segniter, & delicatè octophoro veheretur, à propinquarum urbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter pulverem exigebat. *Suetonius.*

QUO SUCCESSU. PEREGRINATI SUCCESSU FELICI.

Homerus de Ulysse suo inquit, πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα (quæ historica cognitio est) κῆόν τε νόον τε (quæ philosophica est) ejusque interpres *Horatius*: Multorum providus urbes, & mores hominum, inspexit. αἰσχρὸν γὰρ δυρὶ μαχέσσασθαι τε νοήσαι. Proinde à fructu peregrinationis πολυτρόπου appellat non versutum, sed qui sese omnium moribus accommodare posset. Itaque ab Æolo Physica, à Circe Magica, à Calypso Astronomica, sub variis fabularum involucris didicisse perhibetur. *Eustachio authore.* Ingenio abundare oportet peregrinantem, ut

quid

quid sequendum, quid fugiendum sit, sciat: deinde ad finem omnia referre, ad patriæ, suorumque utilitatem. Sic Ulysses omnia Penelopæ dilectæ posponit. Ælianus tamen libro quarto Democriti peregrinationem laudat; Ulyssis, & Menelai ex Theophrasti opinione reprehendit: quòd non eruditionis nomine, sed lucri tantùm studio, imitari mercatores Phœniciæ, peregrinati fuerint.

INFELICI.

De Lævina casta, & ab Bajas adultera, *Martialis lib.1.*

Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno,
Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis,
Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Ludovicus Junior, Francorum rex, Leonoram Aquitanam duxerat. Nullum auspicatius conjugium initio visum: nullum divortium infelicius cecidit. Nam cùm Leonora Ludovicum in sacram expeditionem, & amore ipsius, & cupiditate videndi Raymundum Antiochensium principem patruum, comitata esset, dum desidet inter delicias, luxuriam- B que Antiochensem, mulier jam castris, ferroque, ac proceribus militaribus assueta, parum pudica videri cœpit. Sed cùm nec locus apud patruum, nec tempus tanta in rerum mole criminis discutiendi esset, simul ac in Franciam reversus est è bello sacro, nihil antiquius habuit, quàm ut Leonoræ matrimonium dirimeret. Baugentiaci concilium habitum, Rhemorum, Senonum, Rotomagensium, Burdegalensium Archiepiscopi consedere. Interrogati testes: fides propinquitatis facta: constitutum, constare conjugium piè non posse. Ita non sine admiratione terrarum dimissa Leonora (quam per tot annos uxorem habuerat, unde duas filias procrearat) Constantiam Adelphonsi Galecorum regis filiam uxorem duxit. Leonoram dimissam Henricus Andegavensis uxorem duxit: qui mortuo Stephano regi in Angliæ regnum successit. Hinc Anglici belli occasio. *Æmil. lib.5.*

NULLO.

Telemachus ab Homero in Odyssea introducitur peregrinans, absque fructu tamen: ut qui sub matris imperio educatus esset, & à patris Ulyssis virtute jam degenerasset. Judicio C opus est, & eo quidem summo. Ulyssis socii à Circe venefica in varia animalia convertuntur, nam peregrinationum usum ignorabant. Ulysses solus humanam formam retinet, atque insuper cubile Circes ascendit.

Cuidam quærenti, quòd peregrinationes sibi nihil profuissent: Non immeritò, inquit Socrates, tibi istud evenit, tecum enim peregrinaberis. *Quære inter Apophthegmata.*

Horatius lib. 1. Epist. ad Bullatium ineptos peregrinatores reprehendit elegantibus argumentis, & tandem subinfert:

Tu quocunque loco fueris, vixisse libenter
Ne dicas, nam si ratio, & prudentia curas,
Non locus effusi latè maris arbiter aufert.
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Rodolphus Camerini princeps, cuidam Camerinensi, qui visendi causa orbem peragrare cupiebat, jussit usque Maceratam oppidum proficisci. Quod ille cùm effecisset, Orbem, inquit terrarum universum conspexisti, nihil esse aliud asserens mundum hunc quàm colles, convalles, montes, planiciem, D culta, atque inculta loca, nemora, & sylvas, quæ omnia eo loci spatio continerentur. *Poggius in Facetiis.* Et revera quidem ei, qui videre tantùm loca vult peregrina, absque alio fine, inutilis erit peregrinatio.

PEREGRINATIONES NON SUSCEPTÆ, INTERMISSÆ.

Academia tribus millibus drachmarum comparatum prædiolum penates fuit Platonis, Xenocratis, & Polemonis, qui literis ibi vacarunt, totamque vitam traduxerunt, die excepto uno, quo Xenocrates quoque anno transibat in urbem, ludis Bacchanalibus novorum tragœdorum, ornans, uti ferebat, solenne. *Plut. de Exilio.*

Ælianum Sophistam Romanum, auctore Philostrato, prædicare solitum ferunt, nunquam se extra Italiam pervagatum, navem nunquam inscendisse, mare ne novisse quidem: quo nomine in magna erat auctoritate, velati patrii moris studiosis imprimis. Consimilia iis sunt, quæ à Socrate narrantur in Platonis Phædro, ubi illo dicente, O admirabilis vir, absurdissimus quidem videris, ac hospiti, non incolæ similis, quando nec fines nostros transisse unquam, neque extra mœnia ipsa egressus videris. Mox Socrates ita, Ignoscas, optime Phædre, nam discendi cupidus sum, agri vero, & arbores nihil docere E me possunt, sed homines, qui in urbe versantur. Cognata his ferè, quæ item de Aglao Psophidio prodita memoriæ sunt, quem etiam scisciterat Gyge, Lydorum rege, Apollo felicem pronunciavit, qui senior in augustissimo Arcadiæ angulo parvum, sed annuo victui largè sufficiens prædium coleret, nunquam ex eo egressus, atque ut ex vitæ genere manifestum est, minima cupiditate minimum in vita malit expertus: quod Plinius scribit. *Cælius lib.21. cap.32. A.L.*

M. Antoninus pius nullas expeditiones obiit, nisi quòd ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, gravem esse provincialibus comitatum principis etiam nimis parci, & tamen ingenti auctoritate apud omnes gentes fuit, cùm in urbe propterea sederet, ut undique nuncios, medius utpote, citiùs posset accipere. *Capitolinus.*

Galenus otium omne in literarum, & rei medicæ amplificandæ studiis assiduè collocavit. Itaque non est aliquando veritus, ne Cæsarem M. Antonium sequi in Germaniam cogeretur, armorumque experiri strepitum, religionis apud eum uti cujusdam excusatione, patrium Deum Æsculapium in somnis profectionem dissuasisse asserens. F

Pomponius Lætus Grammaticus, Romanæ vetustatis unicus admirator, Roma pedem nunquam extulit, quod vel ex ipsis ruderibus urbis plus se virtutis, & eruditionis percipere diceret, quàm ex toto reliquo orbe. Semel tantùm ad Tanaim excurrit, ut quæ illic incomperta fuere Straboni, investigaret. *Fr. Polyardus.*

DE PEREGRINATIONIS COMMODIS, ET INCOMMODIS.

* APOPHTHEGMATA.

Socrates cuidam querenti, quòd peregrinationes sibi nihil profuissent. Non immeritò, inquit, Socrates, tibi istud evenit, tecum enim peregrinaberis. Multi putant longinquis peregrinationibus colligi prudentiam, cùm Horatius cla mat:

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Congressus sapientum confert prudentiam, non montes, aut maria, *Eras. ex Laert.*

Antisthenes putavit, omnia mala pro peregrinis habenda esse. Vulgus hominum ea tantùm probat, quibus affluevit, ab exoticis autem abhorret: non quidem quod per se mala sint, G sed quia peregrina. Verùm sapienti viro nil peregrinum est, nisi quod cum vitio conjunctum est. *Laert lib.6. c.2.*

Democritus interrogatus, ad quid peregrinatio prodesset; respondit: Vitæ frugalitatem docet, Offa quippe, & thorus herbaceus, famis, ac laboris dulcissimæ medullæ sunt. *Stob. serm.28.* Idem quamlibet terram homini sapienti perviam esse dicebat: animæ namque fortis universus mundus patria est. *eod. serm.*

Laconibus peregrinari concessum non erat, ne morum peregrinorum vitæque incompositæ contagium attraherent. Quin & peregrinos urbe exigebant, ne paulatim inundantes, mali cujuspiam civibus exiterent magistri. Quisquis autem civium non tulisset liberorum fuorum juxta patrios ritus institutionem jure civium privabatur. Rursus narrant quidam, quicunque peregrinus Spartanæ civitatis institutis sustineret exerceri, eum ex Lycurgi sententia, admitti in eam civitatis portionem, quæ fuerat à priscis ordinata, Cæterùm vendere jus civitatis nulli fas erat. Perspexerat vir ille prudentissimus, commerciis exterorum, ac negociatorum, civitates quamvis H bene institutas corrumpi: quòd ad nequitiam omnes sunt magis dociles quàm ad virtutem. Sed nulla mixtura perniciosior, quàm quæ per imperii translationem, prolationemve invehitur. Sic influxu Græcarum nationum effœminata est Roma: sic barbarorum commercio tandem & Sparta ex sanctissima facta est corruptissima. *Plut. in Lacon.*

Lacones adolescentem ex eorum numero, qui exercebantur, increpuerunt, quod viam nosset, quæ ducit in Pyleam, adeo studebant suos à peregrinationibus, ac rerum exoticarum cognitione servare alienos: ne per occasionem à patriis institutis degenerarent, præsertim cum Arcadia, cujus est Pyla, luxu, deliciisque barbaris esset corrupta. *Idem ibid.*

Pausanias Plistonactis F. cùm Lacedæmonios Tegeæ, ubi exulabat, laudaret, atque quidam dixisset: Cur igitur Spartæ non manebas? Quia inquit, non apud fanos, sed ubi sunt ægroti, medici versari consueverunt. *Pausanias.*

Argivus quidam cum Eudamidæ dixisset, Lacedæmonios peregrinationibus reddi deteriores, quod interim degenerent à ma-

à majorum legibus, & institutis: At vos, inquit, cùm Spartam A venitis, non deteriores, sed meliores evaditis. Dictum retorsit in Argivum: quia hoc dicens, magis suam gentem vituperavit, quam Lacædemoniorum. *Put. in Lacon.*

PEREGRINATIONIS STUDIUM.

Lubet his adiicere Peregrinationis studium à Jano Dousa versibus conceptum, & metro resonante expressum: in eum sequitur modum.

ORBEM, *quæro Novum: quid fiet, morbi aliquid si*
Spaniola hic pereat, vel mihi Cuba? CUBA.
Tutius hinc terra facere est iter: at grave, primo
Protinus è stratis surgere manè. MANE.
Haud maneo, neque me Tragoræ vicinia, longo
Nec juvat exhaustum Marte novale. VALE.
Impetus hinc Latios sæpe est mihi visere fines.
Perveniamque precor, vel Mutinam, ò! UTINAM, ò,
Usque vel Eridanum saltem, fontesve Timavi;
Euganeos ultra, sive Venetos. VENETOS.
Nam quis non patriis præponat victibus Urbem
Felsineam doctis cum Pepulis? EPULIS.
B *In jus visne vocem, si quis malè, vel faciat mi,*
Vel dicat contra publica Scita! SITA.
Quid faciam, queruleane feram fastidia Socrus?
Haud mihi sit animi degeneres. GENERES.
Jam quid agam, si quis plena inter pocula, versæ
Eluvie aspergat me Pateræ? PATERE.
Quid porrò, mussemne etiam vis, si quis asellus
Pro calce impingat mi cubitum? I CUBITUM.
Pro nihilo ergo putem merulentæ opprobria turbæ,
Pro nihilo sannas, verbera, sputa? PUTA.
Præceptum de plebe alicui des tale licebit,
Non mihi, gente fato Parmigera. ARMIGERA.
Quid facit ut tutos præsset mihi janua somnos,
Post cœnam, subiit nox ubi sera? SERA.
Quæ pars illa domus, per quam exhortanda Sabella,
Peste mala hæc horno si moritura? Θύρα, a.
Qua re habitura opus est vicinia si bibulæ ædes
Ipsa suas pergat urere Damis? MANIS. b.
C *Nam matula exsuperate modum, quam scis habeat vim*
Ebrietas, mentes infatuans. FATUANS.
Plus uter in tenebris metuendus, pariete rupto,
Furve manu promptus, an mage latro? LATRO.
Deprehenso sed nocte meos vi frangere clathros;
Non nervo huic fauces illaqueo? LAQUEO.
Præsite quo divo sapiens utare, penates
Ne qua tuos auffit vis violare? LARE.
Hostili hic quoque nomen habet; cui thura, vel agnam.
Pro re (uti vult Marcus) sacrificato. CATO. Lib. de re rust.
Proinde Jovi, Janoque simul, Vestæque litandum,
Quorum ope res omnis mistabilita. LITA.
Seminibus quid agam patriis (Dea) qua neque lava
Missa, neque à molli sunt mihi Sere? SERE.
Utiliusne metam segetes, quàm tubera, si mi
Vivendum ad Meroen sub Mahomete? METE.
Dic mihi, quid præter Genium cœlique, solique
Concinnet nobis mitia mora? MORA.
Quid nux visa tibi, quid mensis apta secundis
D *Uva, mihi à nostro missa Libone?* BONÆ.
Quæ faba Pythagoræ (puto) cognata audiit olim,
Dicitur indigena voce ea Bona. BONA.

a. Janua. *b.* instrumenta restinguendis incendiis accomodata.

* PEREGRINUS QUIS, ET QUOT GENERA.

Quis dicendus Peregrinus, intelligitur ex initio præsentis loci. Atque ex illius progressu constat, Peregrinorum quatuor esse genera, quæ enumerat *Plato lib.* 12. *de legib.* Primum est mercatorum, & negotiatorum, qui lucri capiendi causa ad Indos impigrè currunt, & ab his ad nos transeunt.

Alterum illorum quos ὁμωμοσόνας ξενοῦς appellat, qui causa videndi, & cognoscendi res externas veniunt ad exteros: sive eæ sint sacræ, & religiosæ, sive profanæ, & seculares.

Tertium est illorum, qui publicè mittuntur à populo tanquam legati, De quibus *in loco Legatorum* multa à nobis dicta.

Quartum deinde illorum, quos fortuna, aut casus ad nos defert.

* QUOMODO EXCIPIENDUS.

☞ *Videatur Tit. de Humanitate erga Peregrinos, &c. in loco de Humanitate. Item multa huc facientia habes in loco de Hospitalitate.*

Hospitalitatis officia pleraque ab Homero proponuntur: estque primum ἀσπασμὸς, salutatio peregrini blanda, E & humana, quali excepisse inducit Telemachum Minervam. Od. α.

2 Dexteræ apprehensio: meminit hujus Cicero: Per dexteram inquiens te istam rogo, quam Dejotaro regi hospes hospiti porrexisti.

3 Onera, si quæ gestant, intro deferre. Equos curare: in domum introducere: defessos molliter collocare: lavare, ungere, cœnam apponere: tum demum interrogare: ab injuriis, aut vi vindicare. Etiam nonnunquam munera, & vestes illis datæ. Dimittendi denique & deducendi omni cum humanitate, & ut redeant invitandi.

* ERGA PEREGRINOS QUÆ VETERUM STUDIA.

Multa pro hujus Argumenti illustratione diximus in locis supra indicatis, addemus hic pro rei exigentia nonnulla.

Tanta fuit erga Peregrinos, & hospites humanitas, & cura Romanis, ut teste Cicerone, Varrone, & aliis, eum appellarent hostem, ab hostiendo, ut volunt nonnulli, id est, æquando, quod inter cives, & peregrinos debeat omnium rerum esse F æqualitas: meminerunt hujus appellationis leges XII. Tabul. Cur autem tanta hospitalitatis humanitas fuerit in pectoribus Romanorum, causa est, quòd illi quoque coaluerint ex peregrinis, & advenis.

Quin etiam Peregrinis dabantur magistratus: quomodo Tarquinii temporibus Consules multi peregrini, & extetni fuerunt. Habebant & prætorem peregrinum, qui exteris jus dicebat, Et hujusmodi peregrinos magistratus creandos Plato in sua Republica censuit.

Apud Græcos munus publicum erat excipere peregrinos, & Senatores, ac Legatos aliunde venientes: quique huic præerant πρόξενοι dicebantur, quos publicos hospites appellat Budæus. *Vide locum de Parochis.*

* ERGA PEREGRINOS HOSPITALITAS FUIT VELUT HÆREDITARIA.

Jus hospitii etiam hæreditarium fuisse apud Græcos potissimum, Homerus testatur, dum sub Diomedis, & Glauci persona, demonstrat eos jam prælium inituros, paternam hos- G pitii necessitudinem renovasse. Nam cùm illi manus inter se conferre vellent, Diomedes prius Glaucum interrogavit, quonam esset genere oriundus, quod cùm Glaucus Diomedi exposuisset, Diomedes illum paternum esse hospitem agnovit, atque idcircò hasta humi fixa, illum hujusmodi blandis verbis est affatus:

Certè mihi hostes paternus es antiquus.
Oeneus enim olim nobilis eximium Bellerophontem
Hospitatus est in ædibus viginti dies detinens.
Hi verò etiam sibi mutuò dabant xenia pulchra,
Oeneus quidem baltheum dedit purpura lucidum.
Bellerophontes autem aureum poculum utrinque cavum,
Et illud ego reliqui proficiscens in ædibus meis.
Quare nunc quidem tibi ego hospes amicus in Peloponneso media
Sum, tu verò in Lycia, quando eam ad gentem venero.
Hastas autem mutuas evitemus etiam in turba.

Posteà antiquam hanc hospitii necessitudinem renovandi stabiliendi gratia, & verbis inter se pacti sunt, se non amplius H inter se dimicaturos, & arma inter se commutarunt, & denique de equis desilientes:

Manusque mutuas apprehenderunt, fidemque acceperunt.

Scribit Eustathius id, quod observatione est dignissimum, hospitii amicitiam non iis modò, qui illam primò inter se contraxerant, sed etiam illorum posteris per successionem quandam ἀδιάφθορον, hoc est, venerandam, sanctamque fuisse.

Sic enim cùm Bellerophontes olim, atque Oeneus se mutuò hospitio excepissent, Glaucus quoque, atque Diomedes eorum posteri hospitium bonum reveriti, pacem inter se contrahunt.

Immò prior, ac potior fuit veteribus hospitii, quàm sanguinis conjunctio. Teucer enim Trojanus cum Priamo esset sanguine junctus, tamen non dubitavit cum Trojanis pugnare, seque popularium sanguine inquinare.

At Glaucus, & Diomedes, quia paterni erant hospites, in media etiam acie, atque turba, à mutuo congressu abstinent, sibique temperant.

MUNERIBUS CONTRACTA.

Consuetudo erat apud majores, *inquit Servius in Virg. Æneid. lib.9.* ut inter se homines hospitii jura mutuis muneribus copularent, vel in præsenti, vel per internuntius. Hinc *Virgil.*

Eurydalus

Eurýalus phaleras Rhammetis, & aurea bullis
A *Cingula Tyburti Remulo ditissimus olim*
Quæ mittit dona hospitio, cùm jungeret absens
Cedicus. Hoc est.

Cedicus quidam Remulo, cùm eum sibi absens hospitio vellet jungere, misit phaleras, & cingula bullis aureis, hoc est, clavis insignita.

De hac erga in peregrinos hospitalitate, & comitate, ita apud Comicos Græcos legitur:

Ξένος πένησας μὴ σφόδρ' ἀνήρ ἰδὼν
Inopes peregrinos juvare sis memor,
Ξένοις ἐπαρκῶν, ἢ ἰσον πεῦξη ποτέ,
Ea, peregrino quæ facis, spera tibi.
Ξένον δὲ οὐδὲν μηδέποτε κακὸν κατῴδων.
Occasione lædito nulla hospitem.
Ξένον προσιόντ' μᾶλλον ἀνδράσιν ἥδου,
Major peregrini ratio haberi solet.
Ξένος δ' ἀπράγμων ἴσθι, καὶ πράξεις καλάς.
B *Peregrine, nullis te implica negotiis.*
Ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν,
Esse moderatum maximè hospiti expedit.
Πλείστον βίον ἄθεοι σωφρονέστερον.
Moderationem peregrinatio docet.

* OFFICIA PEREGRINORUM ERGA SUOS HOSPITES.

Homerus non pauca officia requirit ab iis, qui hospitio excipiuntur, idque sub Ulyssis persona, qui erga κυνοδόκους suos se variè gratum, humanum, atque benevolum exhibuit, iis fausta precatus est. Huc faciunt prælara hæc illius verba, quibus se cum Phæacensibus quibuvis, à quibus provocabatur, paratum esse ostendit, præterquam cum Laodamante. Hanc rationem egregiam subjungens:

Hospes enim ille mihi est, quis cum amico pugnaret?
Insipiens ille, & nullius pretii est vir
Quicumque cum hospice contentionem obtulerit certaminum
Populo in alienigena, sui ipsius omnia perturbat.

Simillimum huic exemplum habs *apud Val. Max. lib.5. c.1.*
C de Quintio Crispino. Is enim cum à Badio Campano, quem hospitio domi suæ benignissimè exceperat, & adversa valetudine correptum attentissima cura recreaverat, post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam fuisset provocatus, cùm & viribus corporis, & animi virtutibus aliquanto esset superior, monere ingratum, quàm vincere maluit. Nam quid agis, inquit, demens, aut quò te prava cupiditas transversum rapit? Unus tibi Romanorum, videlicet Quintius placet, in quo scelesta exerceas arma, cujus Penatibus, & honoris vicissitudinem, & salutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ, diique hospitales, sancta nostro sanguini vestris pectoribus vigilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant. Quin etiam si in concursu exercituum fortuitò umbonis mei impulsu prostratum agnovissem, applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocassem. Tuum ergo crimen sit, hospitem occidere voluisse, meum non eris hospes occisus: proinde aliam, qua occidas, dexteram quære, quoniam mea te servare didicit.

Præclarum hoc sanè & eximium est exemplum, & hospita-
D litatis fidelissimæ in Crispino, & perfidiæ atque ingratitudinis in Badio. Utrique autem addit Valerius, cœlestem numen debitum exitum dedit, siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus evasit. De eadem historia *vide Livium Decad.3. lib.5.*

Officia autem peregrinorum, sive eorum qui hospitio excipiuntur, egregiè sanè Menander his carminibus expressit.

Peregrinus si sis, hospitio te excipientes cole.
Peregrinus moribus illius loci pareto.
Peregrinans ne curiosus sis, & benè vives.
Hospiti maximè conducit temperantia,
Peregrinum decet silentium magis, quàm vociferatio.
Valde se accomodare civitati peregrinus debet.

Sic Christus sese modestum, frugalem, gratum iis præbuit, à quibus hospitio fuit exceptus, ac in primis utilia, & salutaria vitæ documenta illis tradidit, *ut Lucæ* 11. *&* 13. *& alibi* scriptum est. Idem Apostolos suos noluit de domo in domum cursitare, sed mandavit ut in quam deponuntur, hoc est, contenti essent tenui victu, & modeste se gererent.

* QUID CIRCA HÆC SCRIPTURA PRÆCIPIAT. E

Vetuit imprimis Deus, ne ulla molestia peregrino inferretur, Peregrino molestus non eris. *Exod.*23. Nec molestiam dumtaxat prohibuit, sed & misericordiæ opera peregrinis exhibenda præcepit. *Lev.* 13. Postquam messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas.

De Deo Moyses *Deut.*10. Deus magnus, & potens terribilis, qui personam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum, atque vestitum: & vos ergo amate peregrinos (tum quia Deus amat) tum quia, & ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti.

Ex quo Dei in peregrinos amore manavit etiam illud præceptum: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas, venientque Levites, &c. & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus F
B tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris. *Deut.*14.

Voluit quoque Deus civitates refugii peregrinis, & advenis æquè patere, securitatis causa, ac ipsis Israelitis. In pœnis item peregrinos civibus æquavit. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit. Benevolentiam suam, & humanitatem in peregrinos his verbis testatam reliquit beatus Job. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit, *cap.*21.

* PEREGRINATIO RELIGIOSA.

Quis de ea Hæreticorum sensus?

Claudius Taurinensis apud Jonam l.3. de cultu Imag. scribit inanes esse ad loca Sanctorum peregrinationes. Secuti hunc Petrobrusiani *teste auct. vitæ S. Bernard. l.3. c.3.* Ac VVicleffistæ, ut est testis *Tb. Wald.to.3.Tit.*15. Idololatriæ damnabant illos, qui ad loca sacra peregrinarentur.

Joannes Calvinus manifesta impietate plenas quoque censet hujusmodi peregrinationes, *lib.4. Instit. cap.*13. §.7. Verùm meritò illos cum impio Hieroboam contulero, qui *teste Jose-* G *pho lib.8. Antiq.cap.*3. dum Israelitas ad nefandam illam Apostasiam pertrahere conatur, dicebat: Viri populares, Notum vobis existimo, quòd nullus est locus Deo vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur, sed ubique vota exaudit, ubi cultores suos respicit, qua falsa persuasione populum induxit, ut relicto templo Hierosolymitano, Idolo Baal excelsa, & sana erigerent.

EARUM PIETAS, ET RELIGIO STATUITUR.

Ex S. Scriptura.

Peregrinationes ad loca sancta pias, & religiosas esse, Concilium Trid. rectissime docet. Ac primùm id confirmatur *Deut.*16. ubi Deus præcepit, ut omnes filii Israel ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinarentur, quod præceptum studiosè servabat Helcana, & Anna uxor ejus 1. *Regum.*1.

Nec non Christus ipse cum matre sua, & S. Josepho. *Luc.* 2. *& Joan.*12.

Etiam Gentiles veniebant adorare in Hierusalem propria H religione relicta. *Actor.* 8.

Eunuchus Æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Hierusalem. *Actor.*20.

Paulus festinabat in itinere, ut in Hierusalem faceret Pentecosten: quem locum adducit *S. Hieronymus in epist.* 17. *ad Marcellam*, ut ostendat bonum esse ad loca sancta peregrinari. Hæc igitur exempla ex Scripturis petita, quæ nullo modo reprehendi possunt, satis indicant, non esse inanem peregrinationem.

Ex Patribus.

Neque desunt testimonia SS. Patrum, quæ antiquum peregrinationum usum asserunt. *Eusebius* namque *lib.9. Hist.c.9.* Alexander, inquit, Hierosolymam adorandi, & locorum sanctorum videndi causa properavit.

Idem refert *Hieronym. lib. de viris illust. in Alexandro*. Porrò iste Alexander floruit centum annis ante tempora Constantini, & Martyr fuit sanctissimus, quem etiam mirificè laudat Magdeburgensis *Cent.3. cap.*10. *in principio*. Ex quo apparet, mendacium esse Magdeburgensium, quòd cœperint peregrinationes ad loca Sanctorum tempore Constantini.

S. Nicolaus quoque adolescens ante Constantini imperium voti

voti causa peregrinatus est in Hierusalem, *auctore Simeone*
A *Metaphraste*.

Et *Euseb. lib.3. de vita Constantini, & Ambrosius oratione de obitu Theodosii*, laudant Helenam, quòd religionis causa Hierosolymam iverit.

Gaudentius *Episcopus Brixianus in sermone de dedicatione templi* scribit, se peregrinatum in Hierusalem, & in itinere cùm transiret per Cæsaream Cappadociæ, accepisse dono à duabus sanctis mulieribus, neptibus magni Basilii, reliquias XL. Martyrum.

Joannes Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum, circa finem, comparans sepulchra Martyrum cum sepulchris Regum: Itaque, inquit, qui regias quidem aulas, videat, nullus unquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque hujus spectaculi gratia peregrinati sunt, futuri namque judicii vestigia, & signa Sanctorum ædes exhibent, ubi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.

Hieronymus epist.17. ad Marcellam, Longum est, inquit, nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo corusçaverat.

Idem epist.27. de obitu Paulæ. Cujus, inquit, gentis homines ad loca sancta non veniunt.

In Epistola 46. ad Rusticum, qui voverat peregrinari ad loca sancta Palæstinæ: Redde, inquit, quod præsente Domino spopondisti, incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quam tuam impleas sponsionem.

Deinde *epist.*154. *ad Desiderium*, hortatur illum, ut veniat ad loca sancta, & inter alia dicit: Certè adorasse, ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est. Dicebat *Simeon Priscus Eremita*: Nos qui persequimur vitam monasticæ exercitationis, & quietem amamus, tamen per deserta erramus, in monte Sina cupientes adorare Deum universorum, in quo cùm Moysi servo suo apparuisset, dedit legum tabulas: non quòd existimemus Deum esse loco circumscriptum: (audimus enim eum dicentem, Cœlum, & terram ego impleo, & quod contineat terræ ambitum, eosque qui in ea habitant, tanquam locustas) sed quoniam ii, qui ardenter amant, non solùm amatos desiderant, sed etiam illis loca grata sunt, & jucunda, in quibus ii fuere præsentes, & in quibus versati sunt. *Theodoret. hist. sanct. Patrum vita 6.*

C *Sulpitius lib.2. sacræ historiæ* describens acta Helenæ dicit, illud esse mirandum Hierosolymis, quòd in loco, ubi Dominus cœlum ascendit, adhuc serventur pedum ejus vestigia, & cùm ad eum locum undique fideles confluant, & rapiant aliquid calcati pulveris, damnum tamen arena non sentiat.

Paulinus epist.11. ad Severum: Non aliter, inquit, affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, atque contingant.

Et natali 3. S. Felicis scribit, turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas ad corpus S. Felicis.

Prudentius in hymno de SS. Hemeterio, & Chelidonio.

Exteri nec non, & orbis
Huc colonus advenit.
Fama nam terras in omnes
D *Præcucurrit proditrix,*
Hic patrones esse mundi,
Quos precantes ambiant.

Augustin. epist.137. ad clerum, & populum Hipponensem; Elegit, inquit, aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos.

*Cassianus lib.4. de institutis renunciantium, cap.*31. meminit Monachorum, qui orationis causa ad loca sancta pergebant. Quidam, inquit, fratrum ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causa convenerant.

Socrates lib.7. cap. penult. scribit, Eudoxiam Theodosii junioris uxorem ex voto Hierosolymam peregrinationem suscepisse.

S. Alexium peregrinatum ad nobiliores Ecclesias mundi, scribit *Simeon Metaphrastes in ejus vita*.

Beda lib.5. hist.cap.7. scribit, Regem Ceeduallam peregrinationem ad limina Apostolorum suscepisse, cupientem ibi Baptismum suscipere, & mox à Baptismo de hac vita migrare. Quorum utrumque impetravit; nam in Sabbato S. à Papa Sergio baptizatus, in ipsa hebdomada Paschæ in albis positus, levi morbo correptus, migravit ad Dominum. E

Idem *cap.*20. scribit, Regem Cocenredum relicto regno peregrinationem ad Apostolorum limina suscepisse, & apud eadem limina in jejuniis, & precibus usque ad vitæ finem permansisse.

Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem, scribit multa millia hominum ex omnibus terræ finibus confluere solita ad limina Apostolorum religionis causa.

*Palladius in historia Lausiaca, c.*113. Philotomum Presbyterum bis voti causa peregrinatum Hierosolymam, & item ex voto peregrinatum Romam ad limina Apostolorum, & Alexandriam ad reliquias S. Marci.

*Idem cap.*118. scribit, Melaniam Hierosolymæ occupatam in suscipiendis peregrinis ex toto orbe venientibus.

EX CONCILIIS.

Concilium Cabilonense sub Carolo Magno celebratum, *can.*45. docet, eorum devotionem omnibus probari debere, qui pœnitentiæ causa ad limina Apostolorum, vel alia loca sancta peregrinantur.

Idem docuit Concilium Tridentinum. *sess.*25.

EX COMMODIS PEREGRINATIONUM.

Triplicia bona adferunt Peregrinationes. Primò cedunt in F honorem Dei, & Sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum, & Sanctos à nobis magnificari, cùm laborem, & pericula itinerum sponte suscipimus, aut Sanctorum reliquias invisimus.

Secundò, est opus pœnitentiæ, & satisfactionis, quia laboriosum, & pœnale.

Tertiò, auget devotionem: nam præsentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam exciteat reverentiam, & licèt ubique sint aliqua sancta loca, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora, ad quæ utile est peregrinari: vel si non sint sanctiora, sunt tamen alia ab his, quæ in nostra patria inveniuntur, & ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem. Sæpe etiam peculiari amore ferimur erga Sancti alicujus memoriam, quæ procul abest à nobis, & eò accedere non parum juvat, licèt habeamus domi memorias celebriores.

AB EXEMPLIS CUM VETERIBUS, TUM NOVIS.

☞ *De quibus Vide Titulos sequentes.*

PEREGRINATIONIS RELIGIOSÆ ANTIQUITAS. AC PRIMUM.

QUOAD LOCA CHRISTI OPERIBUS ET VESTIGIIS NOBILITATA. utputa. G

IN TERRAM SANCTAM.

☞ *Ex lucubrationibus Jacobi Gretzeri è Societ. Jesu Theologi, de Peregrinationibus sacris, & plerisque aliis.*

Primas hæc inter omnes obtinet, & quidem jure optimo, cùm sit ad loca Salvatoris nostri Natali, infantia, juventute, virili ætate, prædicatione, miraculis, passione, morte, resurrectione, & in cœlos ascensione, Apostolorum itidem, & sanctissimæ Virginis Deiparæ, & tot sanctimonia præstantissimorum hominum integerrimis moribus, & sanctissimis actionibus, tam ante, quàm post Christi adventum dedicata. Quam omnibus sæculis statim à Christi morte celeberrimam, ac frequentissimam fuisse, testatur testis locupletissimus, & terræ sanctæ non exigui temporis incola S. Hieronymus, inter peregrinos hujus generis non postremus. Ita ergo ille in epistola, H quam Paulæ, & Eustochii nomine ad Marcellam scripsit. *Epist.*17. Cujus suprà etiam meminimus.

Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo corusçaverat. *Et posteà*: Certò si præclarus orator reprehendendum nescio quem putat, quod literas Græcas non Athenis, sed Lilybæi; Latinas non Romæ, sed in Sicilia didicerit, quod videlicet unaquæque Provincia habeat aliquid proprium, quod alia æquè habere non possit: cur nos putamus, absque Athenis nostris, quenquam ad studiorum fastigia pervenisse? Nec hoc dicimus, quod renuamus, regnum Dei intra non esse, & sanctos viros etiam esse in aliis regionibus, sed quòd hoc asseramus, vel maximè eos, qui in toto orbe sunt primi, huc pariter

pariter congregari, ad quæ loca nos, non ut primæ, sed ut
A extremæ venimus, ut primos in eis omnium gentium cerne-
remus. Certè flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ec-
clesiastica ornamenta, Monachorum, & Virginum chorus
est. Quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat. Di-
visus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, oc-
ciduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantum, & scriptu-
rarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid
Persas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsamque juxta
Ægyptum, fertilem Monachorum Pontum, & Cappado-
ciam, Syriam, Cœlen, & Mesopotamiam, cunctaque orientis
examina? Quæ, juxtà Salvatoris eloquium dicentis: Ubicum-
que fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: concur-
runt ad hæc loca, & diversarum nobis virtutum specimen
ostendunt. Vox quidem dissona, sed una religio, tot pœnè
psallentium chori, quot gentium diversitates. Et inter hæc,
quæ vel prima inter Christianos virrus est, nihil arrogant sibi
de continentia supercilii. Humilitatis super omnes contentio
est. Quicunque novissimus fuerit, hic primus putatur. In
veste nulla discretio, nulla admiratio. Utcumque placue-
rit incedere, nec detractionis est, nec laudis. Jejunia quo-
B que neminem sublevant; nec defertur inediæ, nec moderata
saturitas condemnatur, suo Domino unusquisque stat, aut
cadit. Nemo judicat alterum, ne à Domino judicetur. Et,
quod in plerisque provinciis est familiare, ut se genuino den-
te lacerent, hic penitus non habetur. Procul luxuria, pro-
cul voluptas: tanta in ipsa urbe orationum loca, ut ad ea
peragranda dies sufficere non possit.

Idem alibi. Multis & de toto orbe huc confluentium tur-
bis, & sanctorum fratrum, Monasteriique curis occupatus,
commentarios in Hieremiam per intervalla dictabam, ut quòd
deesset otio, superesset industriæ.

Hac religiosa cupiditate ducti, innumeri cunctis ætatibus
mortales, Hierosolymam profecti sunt, spretis præsentissi-
mis sæpe, gravissimisque periculis, quorum plurimi perpetuas
sedes in Palæstina fixerunt; nominatim S. Hieronymus, & S.
Paula cum filia Eustochio Bethleemi, ædificatis virorum, &
sanctimonialium, imo & peregrinorum Monasteriis, Pau-
la in S. Bethleem (inquit *S. Hieron.*) perpetuò mansura, an-
gusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cel-
C lulas, ac monasteria, & diversorum peregrinorum juxta
viam conderet mansiones, in qua Maria, & Joseph hospitium
non invenerant.

Alibi de seipso idem vir sanctus: Nos in Oriente tenue-
runt jam fixæ sedes, & inveteratum locorum sanctorum de-
siderium.

Ipsi autem, ut S. Paulæ, & Eustochio, præ cæteris arrisit
natale Salvatoris solum Bethleem: Hinc Paula, & Eusto-
chium ad Marcellam: Quo sermone, qua voce speluncam ti-
bi postulamus Salvatoris exponere? Et illud præsepe, in quo in-
fantulus vagiit, silentio magis, quàm infimo sermone hono-
randum est. Ubi sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia?
ubi domus miserorum pœnis, & damnatorum labore vestitæ?
ubi instar palatii, opibus privatorum exstructæ basilicæ, ut
vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, & quasi mun-
do quidquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspi-
cere, quam cœlum? Ecce in hoc parvo terræ foramine cœlo-
rum conditor natus est: hic involutus pannis, hic visus à pa-
storibus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis. Et
D hic puto locus sanctior est Tarpeja rupe, quæ de cœlo sæpius
fulminata, ostendit, quòd Domino displiceret, &c. In Chri-
sti verò, ut suprà diximus, villula, tota rusticitas, & extra
psalmos silentium est. Quocunque te verteris, arator stivam
tenens, Alleluia decantat. Sudans messor, psalmis se avocat,
& curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum ca-
nit. Hæc sunt in hac provincia carmina, hæc, ut vulgò dicit-
tur, amatoriæ cantationes, hic pastorum sibilus, hæc arma
culturæ. *Ita ille ad Marcellam.*

Quæ quanto desiderio tenerentur Marcellæ in Palæstinam
pertrahendæ his verbis planum reddunt, O quando illud tem-
pus adveniet, cùm anhelus nuncium viator apportet, Mar-
cellam nostram ad Palæstinæ littus appulsam, & toti mona-
chorum chori, tota virginum agmina concrepabunt? Obviàm
jam jamque festimus occurrere, & non expectato vehiculo
concitum pedibus ferre corpus. Tenebimus manus, ora cer-
nemus, & à desiderato vix avellemur amplexu.

Peregrinos in Palæstina non modò loca sancta Hierosolymis, sed & alia extra Hierosolymam piè obiisse, coluisse, & adorasse.

Docent hoc illæ ipsæ, de quibus paulò anteà, sanctissimæ
feminæ Paula, & Eustochium. Et primò adorabant, immò
& osculabantur crucem, in qua Christus nos redemit. S. Hie-
E ronymus de S. Paula. Cùm Hierosolymam venisset, cun-
cta loca sancta tanto studio, ac ardore circuivit, ut nisi ad
reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataque
ante Crucem, quasi pendentem dominum cerneret, adora-
bat. Paula, & Eustochium ad Marcellam: Ergo ne erit illa
dies, quando nobis liceat crucis lambere lignum. Quod pe-
regrinus ter ad cultum, & adorationem publicè quotannis
proponebatur, idque certis, ac præstitutis festis; & extra
hæc, rarò, nisi interdum religiosissimi postulent, quasi in
pretium longinquæ peregrinationis, ait *S. Paulinus*, & ali-
quid festucæ simile obtinuisse, magnæ benedictionis loco
reputabatur; teste eodem S. Paulino. Sed de cruce, ejus-
que cultu, satis superque in loco proprio de sancta cruce
diximus.

Secundò, lapidem sepulchri, & ipsum sepulchrum ado-
rabant, & osculis honorabant; ut & præsepe, & alia Chri-
sti contactu consecrata loca. *S. Hieronym. de S. Paula.* In-
gressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem
ab ostio monumenti amoverat Angelus; & ipsum corporis
locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas
aquas ore fideli lambebat. Quid ibi lacrymarum, quantum
gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hiero-
solyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat. Inde egre-
diens ascendit Sion, &c. Ostendebatur illi columna Ecclesiæ
porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vin-
ctus dicitur, & flagellatus, quæ peregrinis semper summo
in honore fuit.

Monstrabatur locus, ubi super centum viginti credentium
animas Spiritus S. descendisset, ut Joelis vaticinium comple-
retur. Deinde pro facultatula sua pauperibus, atque conser-
vis pecunia distributa, perrexit Bethleem, & in dextera
parte irineris steteit, ad sepulchrum Rachel, in quo mater Ben-
jamin, non ut vocaverat moriens, Benoni, hoc est, filius
doloris mei, sed ut pater prophetavit in spiritu, filium dexte-
ræ procreavit. Atque inde Bethleem ingressa, & in specum
Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diver-
sorium, & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum,
& asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eo-
dem Propheta scriptum est; beatus, qui seminat supra aquas,
G ubi bos, & asinus calcant: me audiente, jurabat, cernere se ocu-
lis fidei infantem pannis involutum vagientem in præsepe Do-
minum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, ma-
trem Virginem, nutritium sedulum, pastores nocte venien-
tes, ut viderent verbum, quod factum erat, & jam tunc Evan-
gelistæ Joannis principium dedicarent: In principio erat Ver-
bum; & Verbum caro factum est: parvulos interfectos, Hero-
dem sævientem, Joseph, & Mariam fugientes in Ægyptum, mi-
stisque gaudio lacrymis, loquebatur: salve, Bethleem, domus
panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salve,
Ephrata regio uberrima, atque χαρποφόρε cujus fertilitas Deus
est, &c. Et ego misera, atque peccatrix, digna sum judicata
deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? Orare
in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infan-
tem? Hæc requies mea: quia Domini mei patria est, hic ha-
bitabo, quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Chri-
sto meo, anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.
Haud procul inde descendit ad turrim Ader, id est, gregis:
juxta quam Jacob pavit greges suos, & pastores nocte vigi-
H lantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super ter-
ram pax hominibus bonæ voluntatis, &c.

Statimque concito gradu, cœpit per viam veterem pergere,
quæ ducit Gazam, ad potentiam, vel ad divitias Dei, & tacita
secum volvere, quomodo Eunuchus Æthiops gentium popu-
los præfigurans, mutaverit pellem suam: &, dum verus relegit
instrumentum, fontem reperit Evangelii. Atque inde ad dex-
teram, transita Bethesur, venit Escol, quæ in botrum vertitur.
Unde in testimonium terræ fertilissimæ, & in typum ejus, qui
dicit, Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir me-
cum, exploratores botrum miræ magnitudinis portaverunt.
Nec post longum spatium intravit Saræ cellulas, videns incu-
nabula Isaac, & vestigia quercus Abraham, sub qua vidit
diem Christi, & lætatus est. Atque inde consurgens, ascendit
Chebron: hoc est, Chariath arbe, id est, oppidum virorum
quatuor Abraham, Isaac, Jacob, & Adam magni, quem
ibi conditum, juxta librum Jesu Nave, Hebræi autumant: li-
cèt plerique Chaleb quartum putent, cujus ex latere memo-
ria monstratur. His inspectis noluit pergere ad Cariatsepher,
id est, viculum literarum, quia contemnens occidentem lite-
ram,

ram, repererat spiritum vivificantem. Magisque mirabatur
A superiores, & inferiores aquas, quas Othoniel filius Jephone
Kenaz pro australi terra, & arida possessione susceperat; &,
riquarum ductu siccos prioris instrumenti agros faciebat irri-
guos; ut redempticnem veterum peccatorum in aquis baptif-
mi reperiret.

Altera die, orto jam sole, stetit in supercilio Caphar Baru-
cha, id est, villæ benedictionis: quem ad locum Abraham
Dominum prosecutus est. Unde, latam despiciens solitudi-
nem, ac terram quondam Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, &
Seboim, contemplata est balsami vineas in Engaddi, & Segor
vitulam consternantem, quæ prius Bala vocabatur; & in Zoa-
ram, id est, parvulam, Syro sermone translata est. Recordaba-
tur speluncæ Loth, & versa in lachrymas, Virgines socias ad-
monebat cavendum esse vinum, in quo est luxuria, cujus opus
Moabitæ sunt, & Ammonitæ. Diu hæreo in meridie, ubi
sponsa cubantem reperit sponsum, & Joseph inebriatus est
cum fratribus suis. Revertar Hierosolymam, & per The-
cuam, atque Amos rutilantem montis Oliveti lucem aspi-
ciam, de quo Salvator ascendit ad Patrem, &c.

Post ingressa sepulchrum Lazari, Mariæ, & Marthæ vidit
B hospitium, & Bethphage villam sacerdotalium maxilla-
rum, & locum, in quo pullus lasciviens gentium Dei fræ-
na suscepit; Apostolorumque stratis vestibus, mollia terga
præbuit ad sedendum. Rectoque itinere descendebat Hieri-
cho, recogitans illum de Evangelio vulneratum, ac Sacerdo-
tibus, & Levitis, mentis feritate prætereuntibus, clementiam
Samaritæ, id est, custodis; qui feminecem suo jumento im-
positum, ad stabulum Ecclesiæ deportavit. Et locum Ado-
mim, quod interpretatur sanguinum, quia multus in eo san-
guis crebris latronum fundebatur incursibus. Et arborem sy-
comorum Zachæi, id est, bona pœnitentiæ opera; quibus
cruenta dudum, & noxia rapinis peccata calcabat, excelsum-
que Dominum de excelso virtutum intuebatur. Et juxta viam
cæcorum loca, qui receptis luminibus utriusque populi cre-
dentis in Dominum sacramenta præmiserat. Ingressa Hieri-
cho, vidit urbem, quam fundavit Hiel in Abiram primogeni-
to suo, & cujus portas posuit in Segub, novissimo filiorum.
Intuita est castra Galgalæ, & acervum præputiorum, & secun-
dæ circumcisionis mysterium: & duodecim lapides, qui de
Jordanis illic translati alveo, duodecim Apostolorum funda-
menta firmaverant: & fontem quondam legis amarissimum,
& sterilem, quem verus Helisæus sua condivit sapientia, & in
dulcorem, ubertatemque convertit. Vix nox transierat, fer-
C ventissimo æstu venit ad Jordanem. Stetit in ripa fluminis, &
orto sole, solis justitiæ recordata est, quo modo in medio am-
nis alveo sicca sacerdotes posuerint vestigia; & ad Heliæ,
& Helisæi imperium, stantibus ex utraque parte aquis, iter
nuda præbuerit: pollutasque diluvio aquas, & totius hu-
mani generis infectione maculatas, suo Dominus mundave-
rit baptismate.

Longum est, si velim de vallo Achor dicere, id est tumul-
tus, atque turbarum, in qua furtum, & avaritia condemnata
est: & de Bethel domo Dei, in qua super nudam humum,
nudus, & pauper dormivit Jacob; & posito subter caput la-
pide, qui in Zacharia septem oculos habere describitur, &
in Isaia lapis dicitur angularis, vidit scalam usque ad cælum
tendentem, in qua Dominus desuper innitebatur, ascendenti-
bus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans.
Sepulchra quoque in monte Ephraim Jesu filii Nave, &
D Eleazari filii Aaron sacerdotis è regione venerata est: quo-
rum alter conditus est in Tamnathsare, à septentrionali par-
te montis Gaas; alter, in Gabaa filii sui Phinees; satisque mi-
rata est, quòd distributor portionum sibi montana, & aspera
delegisset.

Quid narrem Silo, in quo altare dirutum, hodieque mon-
stratur, & raptum Sabinarum à Romulo: tribus Benjamitica
præcurrit; Transivit Sychem, non, ut plerique errantes legunt,
Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Ga-
rizim exstructam circa puteum Jacob intravit Ecclesiam: su-
per quo residens Dominus, sitiensque, & esuriens, Samaritanæ
fide satiatus est: quæ quinque Mosaicorum voluminum viris,
sextoque, quem se habere jactabat, errore Dofithei derelicto,
verum Messiam, & verum reperit Salvatorem. Atque inde diver-
tens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra, & Sebasten,
id est, Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode græco
sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Helisæus, & Ab-
dias Prophetæ; & quo major inter natos mulierum non fuit
Joannes Baptista: ubi multis intremuit consternata mirabili-
bus; namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, &
ante sepulchra sanctorum ululare homines more luporum,
vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum,
E mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram
vertice tangere; suspensisque pede feminis, vestes defluere in
faciem: miserebatur omnium: & per singulos, effusis lacry-
mis Christi clementiam deprecabatur. Et, sicut erat invalida,
ascendit pedibus montem, in cujus duabus speluncis, perse-
quutionis, & famis tempore Abdias propheta centum prophe-
tas aluit pane, & aqua. Inde cito itinere percurrit Nazareth,
nutriculam Domini, Chanaam, & Capharnaum, signorum
ejus familiares: lacum Tiberiadis, navigante Domino sanctifici-
catum: & solitudinem, in qua multa populorum millia paucis
saturata sunt panibus, & de reliquiis vescentium, repleti sunt
cophini duodecim tribuum Israel. Scandebat montem Tha-
bor, in quo transfiguratus est Dominus. Aspiciebat procul
montes Hermon, & Hermonium, & campos latissimos Gali-
læ, in quibus Sisara, & omnis exercitus ejus, Barach vincen-
te, prostratus est. Torrens Cison, qui mediam planiciem di-
videbat, & oppidum juxta Naim, in quo viduæ suscitatus est
filius, monstrabatur.

Hæc, & alia plurima his similia de S. Paula D. Hieronymus,
ex quibus intelligimus, quæ fuerint peregrinorum in terra F
sancta occupationes; quas nobis eadem Paula cum filia Eu-
stochio ad Marcellam hoc etiam penicillo depingunt: Ergone
erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intra-
re? in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre?
crucis deinde lambere lignum, & in Oliveti monte cum ascen-
dente Domino, voto, & animo sublevari? Videre exire La-
zarum fasciis colligatum, & fluenta Jordanis ob lavacrum
Domini puriora: inde ad pastorum caulas pergere, in Da-
vid orare Mausoleo? Amos Prophetam etiam nunc buccina
pastorali, in sua conspicere rupe clangentem? ad Abraham,
Isaac, & Jacob, trium quoque illustrium feminarum vel ta-
bernacula properare, vel memorias? videre fontem, in quo à
Philippo Eunuchus est tinctus? Samariam pergere, & Joannis
Baptistæ, Helizæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare?
ingredi speluncas, in quibus persequutionis, & famis tem-
pore Prophetarum agmina sunt nutrita? Ibimus ad Nazareth,
& juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus
Galilææ. Haud procul inde cernetur Cana, in qua aquæ in
vinum versæ sunt.

Pergemus ad Itabyrium, & tabernacula Salvatoris, non,
ut Petrus quondam voluit, cum Moyse, & Helia, sed cum Pa- G
tre cernemus, & Spiritu S. Inde ad mare venimus Gene-
zareth: & de quinque, & septem panibus, videbimus in de-
serto quinque, & quatuor millia hominum saturata. Appare-
bit oppidum Naim, in cujus porta viduæ filius suscitatus est,
Videbitur & Hermon, & torrens Endor, in quo superatus
est Sisara. Capharnaum quoque signorum Domini familiaris,
& omnis pariter Galilæa cernetur. Et tunc, comitante Chri-
sto, cum per Silo, & Bethel, & cætera loca, in quibus Ecclesiæ
quasi quædam victoriarum Domini sunt erecta vexilla, ad no-
stram speluncam redierimus, canemus jugiter, crebro flebi-
mus, indefinenter orabimus, & vulneratæ jaculo Salvatoris
in commune dicemus? Inveni, quem quæsivit anima mea: te-
nebo eum, & non dimittam illum.

Quæ omnia manifestum faciunt, peregrinos, non curiosita-
tis, sed pietatis causa loca sacra obiisse, ac lustrasse. Adorare
enim sepulchrũ, præsepe, lãbere lignum crucis, & sepulchrum,
& lapidem sepulchro impositum, & venerari monumenta illa
tantam sanctitatem spirantia, non est curiositatis, sed prisca
sciendi vanitatis, sed religiosæ pietatis. Nec illud omittendum H
est, peregrinos religionis causa secum retulisse, si non aliquid
de sacrosancta Cruce, aut alio passionis Dominicæ instrumen-
to, saltem de sanctæ terræ pulvere, ut suprà audivimus *ex S.
Paulino, & Greg. Turonensi* testatur ex terræ sanctæ particulis
formari solitas tortulas, quas medelæ, custodiæ, & pietatis
causa peregrini secum importarint, aliisque magni muneris
vice obtulerint: qui mos hodieque durat apud Catholicos.

Tradit insuper *Theodor. Studita*, Auctor gravis, tanta in ve-
neratione fuisse terram sanctam, ut si quis inde accipiat sive
puluisculum, sive lapidẽ, eum adornet atque cõplectatur, quasi
peculiarem thesaurum, aut sacras quasdã reliquias. De Hespe-
rio, viro Tribunitio, hæc *S. August.* Acceperat ab amico ter-
ram sanctam de Hierosolymis allatã, ubi sepultus Christus die
tertio resurrexit, eamq; suspenderat in cubili suo, ne quid mali
etiam ipse pateretur. At, ubi domus ejus ab illa infestatione
purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in
cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Fortè accidit, ut
ego, & collega meus Episcopus Sicinensis Ecclesiæ Maximius

in proximo essemus, ut veniremus, rogavit: & venimus, cùm-
A que nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationis locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari. *Hæc D. August.*

Quid quod ipsis etiam perfidis Donatistis vel minimè terræ sanctæ particula summo in pretio fuit, *S. Aug. de Donatistis*: Unde (nimirum ex Palæstina) terra si eis afferatur, adorant: fideles autem, si inde veniant, exsufflant & rebaptizant etiam.

* *Peregrinationis Hierosolymitanæ Antiquitas.*

Quid de ea Hæretici.

Hæretici hujus ætatis ajunt, peregrinationem Hierosolymitanam incepisse sub imperio Constantini Magni: ac proinde novam esse, & prioribus sæculis incognitam. At statim ab Ascensione Domini, annisque Constantinum antegressis, Christianos Hierosolymam, & alia loca Christi præsentia, & miraculis illustrata, piè, ac religiosè adiisse, & obiisse, variis argumentis probari potest.

I. Testimonio S. Hieronymi, qui, ut suprà vidimus, scribit, longum fore, si percensere velit, quinam ab ascensu Do-
B mini usque ad suam ætatem, Hierosolymam religionis ergo petiverint. Existimat igitur S. Pater, peregrinationem hanc non sumpsisse exordium imperante Constantino Magno, à cujus ætate ipse parum abfuit; sed ab Ascensione Domini, atque adeò ab ipsis Christianæ fidei primordiis: neque ullo modo S. Hieronymus peregrinationem istam pro nova, aut novitia habuit; sicut revera habuisset, si sub Constantino demum introducta fuisset.

II. *Cyrillus Hierosolymit.* ita scribit. Non enim nunc incepit hùc externarum gentium multitudo undique congregari; sed jam olim. Si jam olim, non ergo sub Constantini Magni imperio, à quo ipse aut nihil, aut parum abest, quippè qui Ecclesiam Hierosolymitanam sub Constantini filio rexerit.

III. Idem probatur ex facto Ethnicorum, qui ut Christianos à loco passionis, & resurrectionis abterrerent, idolis sacratissimum Calvariæ montem muro inclusum contaminarunt; idque eo consilio, ut fideles vel omninò ab accessu, & cultu locorum illorum sibi temperarent, vel si secus agerent, non loca illa, sed idola venerari censerentur. Testatur hoc *So-*
C *zomen.* cujus sunt ista: Veteres gentiles, qui Ecclesiam persequuti fuerunt, quoniam Christianam religionem, recens jam ortam, delere, & exscindere omnibus opibus, viribusque laborabant, idcircò eum locum, ingenti aggere superinjecto, obruerunt, eumque in majorem altitudinem, uti etiamnum apparet, erexerunt. Quin etiam universo loco, tum sepulchri, unde Christus resurrexit; tum Calvariæ, muro undique circumdato, eum pro suo arbitratu exornare cœperunt. Nam primùm, sternunt lapidibus; deinde fanum Veneris superexitruunt: postremò, simulachrum in eo statuunt, ad eum sanè finem, ut & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere; & temporis diuturnitate, vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in oblivionem: quippe cùm Christiani neque eò tutò accedere possent, neque aliis indicare auderent, sed contrà omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse nihil, præter fanum gentium, & Veneris statuam.

Neque alio fine ab Adriani temporibus in loco Resurrectionis colebatur simulachrum Jovis, & in Crucis rupe mar-
D morea statua Veneris; & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Thamuz, hoc est, Adonis, Veneris amasius: existimabant enim Ethnici, fore ut Christiani loca illa penitùs desererent, & detestarentur, si ea simulachris idolorum conspurcata cernerent. Ab antiquis persecutoribus simulachrum in eo (passionis loco) fuerat defixum, ut si quis Christianorum in illo loco adorare voluisset, Venerem videretur adorare, *inquit Ruffinus.* Ob quam sacrilegam temeritatem, & profanationem meritò hunc in modum exclamat *S. Paulin.* Me miserù, etiam ista pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recusavit; ut ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur: & super crucem, ad quam, orbe concusso, & sole refugo, & dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat, stabat simulachrum dæmonis, & ara simulachri, pecudum busta fumabant; & Dei nomen deferebatur statuis mortuorum, cùm ipse vivorum Deus, qui & resurrectio mortuorum est, non solùm mortui, sed & crucifixi hominis blasphemaretur opprobrio. In Bethlehem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; ibi principes hominum inficiati salvatorem Deum, infames hominum amores, mortesq; coluerunt. Prodita novo fidere regis æterni: ubi cunabula supplices cum suis opibus adoraverunt Chaldæi, ibi barbaras libidines sacra- E
verunt Romani. Ubi natum Salvatorem cum exercitu Angelorum concinentes cœlesti gaudio salutaverant illustrata nocte pastores: ibi Veneris amasium, mistæ semiviris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem cõpensare poterit? Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat: illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat: &, ubi Virgo pepererat, adulteri colebantur.

Ut igitur olim Adrianus Imper. reædificatis Hierosolymis, in fronte ejus portæ, qua Bethlehem egredimur, *inquit Euseb. in Chronico*, suam ex marmore sculptam constituit, cum alias ob causas, tum ut Judæos ab aditu, cultuque urbis illius & loci prohiberet, & averteret: ita tam ipse, quàm alii à vera fide alieni Idola Jovis, Veneris, & Adonidis in nativitatis, & passionis loco erexerunt, ut Christiani loca illa potius fugerent, ac detestarentur, quàm adirent, ac venerarentur. Nec quidquam causæ erat, cur passionis locum muro cingerent, & idolorum objectu Christianos amovere tentarent; si non jam tum loca illa frequenti fidelium accursu celebrari, & cohonestari conspexissent.

IV. Scribit *Origen. contra Celsum*, speluncam, in qua natus F
est Christus, & præsepe, in quo fasciis obvolutus est, ostendi solere; (quibus, nisi peregrinis, eò religionis causa profectis?) hujusque loci famam etiam apud Ethnicos perquam celebrem esse. Accipe ipsa Origenis verba. *ὁ βιβλιοπώλης τῶν μὴ τὴν ἐν μικρῷ πορφυρίταν, καὶ μετὰ τῶν ἀναγεγραμμένων τοῖς εὐαγγελίοις ὑπὸ Ἕλληνος μεθηρμηνευμένων ἱστορίαν καὶ ἄλλην παλαιότερον, κατασκευάσαντα, ὅτι ἀληθῆ τῷ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ περὶ τοῦ μὴ ἴσως αὐτῷ ἱστορίᾳ διάφορα τὰ ἐν βηθλεὲμ πεπίστευκεν, ἔνθα γεγέννηται, καὶ ἡ ἐν τῷ σπηλαίῳ φάτνη ἔνθα ἐσπαργανώθη, καὶ τὸ δεικνύμενον ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦτο ἐν τοῖς σπουδαιοτάτοις καὶ παρὰ τοῖς τῆς πίστεως ἀδοκιμάζουσι.* *Quod si quis post Michææ vaticinium, & historiam Evangelicam à discipulis Jesu conscriptam, etiam aliunde argumenta ad persuasionem apta, & idonea desideret, sic habeat: Convenienter Evangelicæ historiæ ostendi in Bethlehem speluncam, ubi Christus natus est: & præsepe, ubi fasciis involutus; idque, quod ostenditur* (spelæum videlicet, & præsepe) *etiam iis in locis, ubi alieni à fide habitant, celebratum, ac decantatum esse.* Hæc Origenes. Quis autem tam hebes fit, qui nesciat Origenem multis annis ante
Constantinum Magnum vixisse? G

V. Idem probatur exemplo multorum, de quibus certa veterum relatione constat, eos religionis, & pietatis ergo terram sanctam petiisse. Primus fit *Dionys. Areopagita*, S. Pauli discipulus, qui ista de se, & Apostolis. *ἐπὶ καὶ παρ' αὐτοῖς διωκόμενοι ὑμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, οὓς οἶδα, καὶ αὐτοὶ, καὶ πολλοὶ περὶ ἱερῶν ὑμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τῶν θείων τῆς χωρχικῆς, καὶ θεοδόχου σώματος συνελλυόμεθα. πεμφθὲν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη περὶ θεολογῶν ἀκρότης, ἅπαν ἐδόκει μετὰ τῶν θείων ὑμνῶν τοῖς ἱεροῖς χεροὶ ἀναπτυσσόμενον, ὡς ἕκαστον ἦν ἱκανὸν, τῶν ἀπεροδύναμον ἀδαμάντων τῆς διακρίσεως ἀστραπάς, &c.* Quæ verba sic transtulit Ambros. Camaldulensis. *Nam & apud ipsos divino spiritu plenos Pontifices nostros, cùm & nos (ut nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod authorem vitæ, Deumque ceperat, convenissemus (aderat autem & frater Domini Jacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum theologorum columen) ubi post contuitum placuit ut infinitè potentem divinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo, &c.* Etsi autem non ignoro plerosque per σῶμα ζωαρχικὸν, καὶ θεοδόχον, intelligere corpus sacratissimæ Deiparæ, ad cujus obitum, & funus, Apo-H
stoli, & cum his ipse Dionysius, convenerint, non tamen me fugit Gilduinum, auctorem non vulgarem, in suis Areopagiticis σῶμα ζωαρχικὸν, καὶ θεοδόχον explicare de sepulchro Christi, cui favet *Matthæus Galenus in sua Areopagitica præfat.* nec planè improbabiliter: quidquid nonnulli contra obiiciant: quibus absurdum videtur, Apostolos jam per orbem dispersos convenisse Hierosolymis; ut sepulchrum Domini viderent, toties à se anteà visum. At quid ni visio etiam decies repetita placeat; visio inquam augustissimi sepulchri Dominici? De multis proditum legimus, bis, ter, & sæpius loca sacra adiisse; neque tamen è conspectu toties iterato satiari potuisse. Quid quod non pauci domicilia sanctissimis illis in locis fixerunt, ut quod contemplari, & venerari cupiebant, quotidie contemplari, & venerari liceret. Nec ulla causa fuit Apostolis veniendi Hierosolymam; si venerunt videndi, & colendi Dominici sepulchri causa, sufficiens fuisset, tametsi sola. Et quis pro certo affirmare audeat, Apostolis aliam non fuisse, quàm istam?

Secundus, qui loca sancta adiit, fit Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, de quo hæc *S. Hieron.* Sub occasione sanctorum

sanctorum locorum Palæstinam veniens, diù Cæsarææ in san-
A ctis scripturis ab eo (Origene) eruditus est. Vides igitur Firmilianum in Palæstinam venisse desiderio Iustrandi loca sancta, & hoc utique ex communi more sui ævi.

Tertius fit Alexander, Episcopus Cappadociæ, qui, ut ait *S. Hieronymus*, Hierosolymitanus Episcopus creatus est, cùm desiderio sanctorum locorum Hierosolymà pergeret, & Narcissus, ejusdem Urbis jam senex regeret Ecclesiam, & Narcisso, cùm ejusdem Urbis jam senex regeret Ecclesiam, & multis Clericis ejus revelatum est, altera die manè intrare Episcopum, qui adiutor sacerdotalis Cathedræ esse deberet. Eadem *Euseb. lib. 6. cap.* & *Socrat. lib. 7. cap. 35.* qui tradunt, Alexandrum voti causa Hierosolymam contendisse. Meminit ejusdem Alexandri Hierosolymam peregrinantis Illustrissimus *Baron. tom. 2. Anno Christi 199. in fine.* additque; peregrinationum usum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ cœpisse.

Quartus fit S. Nicolaus, (prolatus quoque à Bellarmino) qui adolescens, ante Constantini Imperium, voti causa Hierosolymam peregrinatus est, ut scribit Metaphrastes, gravis auctor, qui floruit sub imperio Michaelis, filii Theophili, circa annum Domini 857. vel 858. ut ex ætate Pselli rectè colligit Baronius.

B Quintus fit Joannes Martyr, socius Cyri itidem Martyris, arte, corporibus simul, atque animis medendi celeberrimus, qui Hierosolymam pietatis causa adiit, regnante adhuc, & in Christianos truculenter saeviente Diocletiano. Ne tamen in hoc Catalogo texendo simus prolixiores, adducemus D. Hieronymum, qui non modò sextum, septimum, & octavum, sed & infinitos alios ab Ascensione Domini ad sua usque tempora Hierosolymam profectos, hac sua sententia suggerit; Longum nunc est ab Ascensu Domini usque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, &c. Ecce S. Hieronymus affirmat singulis ætatibus ab Ascensione Domini, usque ad suam ætatem Hierosolymam, pietatis causa, petiisse Episcopos, Martyres, aliosque religione, & doctrina præstantes viros; & quidem tam multos, ut longum sit singulorum nomina speciatim referre; ergo etiam illis ætatibus, quæ Constantini Magni Imperium antecesserunt, usitata, & frequentata fuit Hierosolymitana peregrina-
C tio, teste eod. S. Hieronimo.

Meritò superioribus accenseri debet Helena Adiabenorum Regina unà cum filio suo; quam anno secundo Claudii Imperatoris Hierosolymam venisse constat. Et quamvis Josephus scribat, Helenam cum filio transiisse ad religionem Judaicam; Orosius tamen, Ado, & alii dicunt, eam Christiana sacra amplexam: Cujus rei sacrorum Annalium scriptor Baronius ex ipsis verbis Joseph, conjecturam non improbabilem capit. Acriter enim disceptatum tradit, utrùm filius Helenæ circuncidendus esset; aliis circumcisionem necessariam esse affirmantibus; aliis negantibus. Dum hæc mecum reputo, *inquit Baronius*, & altercationes illas de circumcisione, necessariæ essent nec ne, considero, illæ ipsæ mihi visæ sunt, quæ inter Apostolos diù agitatæ fuerunt, usque ad Concilium Hierosolymis celebratum. Nec quemquam Judæorum unquam reperi, qui absq; circumcisione posse salvari quempiam affirmaret, lege expresè dicente; Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irri-
D tum fecit. Hæc, inquam ipsa in eam partem magis me adducunt, ut existimem, hos (ut scribit Orosius) fuisse Christiana fide imbutos.

Cujus inde etiam capere licet aliquale argumentum, quòd Christiani Helenæ Adiabenorum Reginæ sepulchrum adire solebant, quando loca sancta obibant: ut patet ex *Epistola 27. Hieronymi*, qua peregrinatio S. Paulæ Romanæ describitur. Quod non facturi fuisse videntur, si eam Christianæ fidei mysteriis initiatam non credidissent. Si igitur Christiana cum filio fuit; quis dubitet, quin eo concilio Hierosolymam venerit, ut adoraret in loco, ubi steterunt pedes Domini.

Catalogus quorumdam, qui à tempore Constantini Magni usque ad primam Expeditionem Cruciatam Hierosolymitanam peregrinationem obierunt.

Diximus supra ex S. Hieronymo, innumerabilem peregrinorum turbam ex omnibus mundi partibus Hierosolymam confluere consuevisse; quod etiam ad Paulinum docet. De toto huc orbe concurritur, plena est civitas universi generis hominum, & tanta utriusque sexus confluentia, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris. Alibi dicit, se pro-

missos in Ezechielem Commentarios perficere citius non potuisse, dum nulla hora, inquit, nullumque momentum est, in E
quo non fratrum occurramus turbis, & Monasteriis solitudinem hospitii frequentia commutemus. Quocirca nullus à nobis expectet, ut omnium hujusmodi peregrinorum Indicem texamus. Id enim & infinitum foret, & supra vires; sed quosdam duntaxat carptim enumerabimus: illud non omittentes, jam olim peregrinis Hierosolymitanis in more positum fuisse, ut Hodœporica conficerent. Extat itinerarium Burdegala Hierosolymam usque, & ab Heraclea per Aulonam, & per Urbem Romam, Mediolanum usque. Quod viri docti circa Constantini Magni tempora scriptum suspicantur, haud vanis conjecturis ducti. Cujusmodi Hodœporica duplici sunt usu; memoriam enim peractæ peregrinationis conservant; futurosque peregrinos tam de via, quàm de ratione, modoque viæ instituendæ erudiunt. Quia verò Helenam in primo agmine peregrinantium constituimus, agendum subjungamus alias pietate præstantes fœminas, quæ idem iter ingressæ Hierosolymitanam peregrinationem feliciter peregerunt.

Ac primò quidem occurrit Eudoxia Theodosii Junioris F
conjux, quæ Evagrio teste bis Hierosolymam profecta est: De altera ejus peregrinatione, quæ incidit in annum Christi 438. hæc *Socrates. Theodosius Imp.* deinceps, hoc est, post translatum corpus S. Chrysostomi, preces Christo offerre, quibus gratias pro acceptis beneficiis agat, Christique nomen hoc numere obeundo eximiis honoribus decorare cœpit. Quinetiam Eudoxiam conjugem Hierosolymam misit. Quippe pollicitus erat, illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonium collocatam cerneret. Quin illa ipsa & Ecclesias Hierosolymorum, & omnes alias in urbibus versus Orientem sitas, tum eò proficiscendo, tum domum redeundo variis ornamentis honorificè illustravit, hæc *Socrates.*

Suscepisse autem Eudoxiam iter Hierosolymitanum, suasu etiam Melaniæ Junioris, testatum reliquitur ex Actis Melaniæ, in quibus ista leguntur. Interim dum hæc fierent, Imperatrix Eudoxia jverat Antiochiam. Paruerat enim Melaniæ monitis, cùm ea venisset Byzantium, suadentis, ut hanc susciperet peregrinationem, & veniret Hierosolymam, ut videret loca sancta, & quæ ex eis percipitur, fieret particeps sanctifica- G
tionis. Cùm Melania itaque ei processisset obviam, magno honore fuit affecta ab Imperatrice, ut quæ eam matris loco haberet, & duabus de causis providentiæ divinæ ageret gratias, nempe quod usque adeò celebratam. Hierusalem, & sancta loca, quæ videret, digna sit habita, & quod in ea talis matri facta sit filia fecundùm spiritum. Signum est autem magni amoris Imperatricis in Melaniam, quòd non dubitaverit tantum iter aggredi, & eò accedere, & quæ illinc erant Virgines, tanquam sorores, salutare, & amplexari.

Quid Hierosolymis egerit, hunc in modum narrat *Evagrius.* Constat, eam, cùm in sancta illa Christi civitate versabatur, multas res ad Dei Salvatoris honorem illustrandum gessisse. Nam sancta ædificavit monasteria, & loca illa, quæ Lauras vocant, in quibus tametsi varia ratione vivitur, tamen vitæ institutum ad unum, eundemque finem spectat, eumque sanctissimum. Subdit *Evagrius.* Cùm multis hujus generis hominibus Theodosii conjux collocata est, & multa hujusmodi monasteria (ut antè dixi) ædificavit: Hierosolymorum refecit mœnia, eaque pulchriora reddidit. Et templum quoque ad-H
modum illustre extra Urbem Hierosolymitanam S. Stephano Protomartyri excitavit; ut auctor est idem *Evagrius.* Hierosolymis domum reversa est anno Christi 439. *Marcellinus in Chronico.* Eudoxia uxor Theodosii Principis ab Hierosolymis in urbem regiam remeavit, beatissimi Stephani primi martyris reliquias secum deferens, quas in basilica sancti Laurentii positas fideles venerantur. Neque istas tantùm, sed complures alias Reliquias secum Constantinopolim detulit; de quibus plura *Baronius.*

Mortuo Theodosio Hierosolymam denuo petiit, & in sanctis illis locis finem vivendi fecit, Anno Redemptoris 460. De prima Eudoxiæ peregrinatione hæc *Miscella. Theodosius Imp.* Eudoxiam uxorem suam Hierosolymam misit gratificos hymnos oblaturam Deo. Quæ plurima dona Ecclesiis contulit, & adoratis tam sancta Cruce, quàm colendis locis, reversa est ad regalia. Hujus Eudoxiæ exemplum in peregrinatione Hierosolymitana secuta est alia Eudoxia, Eudoxiæ ejus, quæ in Africam ducta est, filia; ut scribit *Zonaras.*

De Paula Romana, ejusque filia Eustochio, sanctissima

Virgine, non eſt quoad ampliùs dicam; cum ſuprà ſatis de
A utraque dictum ſit.

Ad Melaniam Juniorem nobiliſſimam fœminam accedamus; quæ Hieroſolymam non tam ut peregrina, quam ut civis futura venit; de cujus incredibili in locis ſanctis adeundis, perluſtrandis, & colendis pietate, & aſſiduitate, mira invenies in ejus Actis apud Metaphraſtem. Nec minorem laudem ex hac peregrinatione conſecuta fuiſſet Melania ſenior, niſi hanc laudem Origenianis opinationibus obſcuraſſet: Etſi Baronius haud temerè opinatur, eam ſub vitæ finem ad ſaniorem mentem rediiſſe, & Origenis hæreſi, poſtquam ab Eccleſia Romana damnationi ſubjecta fuerat, multam ſalutem dixiſſe.

His adde Fabiolam ex Romanis matronis celeberrimam, maximiſque à S. Hieronymo laudibus decantatam: Et Apollinarem, nobiliſſimam virginem, Antheniii Conſularis viri filiam, qui ſub Arcadio Imp. conſulatum geſſit, de qua Metaphraſtes.

De Marana, & Cyra fœminis ſolitariam, eamque rigidiſſimam vitam ducentibus, cum alia admirationis pleniſſima, tum hoc in primis commemorat *Theodoretus*. Cùm aliquando deſideraſſent ſalutarium Chriſti paſſionum ſancta loca
B contemplari venerunt Ælium, cùm in via nihil ciби ſumpſiſſent. Sed poſtquam in illam urbem venerunt, & adorationem impleverunt, cibum ſumpſerunt, & reverſæ ſunt, rurſus à jejunis confecto itinere: eſt autem iter non pauciorum, quàm viginti dierum.

Nec ſilenda eſt Golinducha, nata Babyloniæ è Magorum familia, ut inquit *Theophylact. Simocrates*, quæ propter Chriſti fidem variis modis à Perſis excruciata, Angeli beneficio tandem ex carcere evaſit; Atque Romanorum provinciam ingrediens, apud Hieroſolymam inſignem & inenarrabilem Dei magnificentiam divulgat, facriſque precationibus, ad ſepulchrum magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti effuſis, crucemque, in qua Chriſtus paſſus eſt, adoratione, & cultu ſuo venerata, Hierapolim revertit, multaque eventura Choſroæ prædixit: ac vita, exemplo Angelico, atque ut decet ſanctos, tum animo tum corpore tradcta ab his rebus mortalibus diſceſſit, tolerantiæque corona cum triumpho ſempiterno redimita eſt.

Prædictis addatur Athanaſia, Andronici Argentarii conjux; quæ tempore Theodoſii Magni Imperatoris, ut eſt in Metaphraſte apud Surium, cum marito Hieroſolymam petiit; poſteà cùm tam ille, quàm illa ſua nomina in Religionem, diverſis in locis, ac Monaſteriis dediſſent, accidit, ut denuo Hieroſolymam petentes in ſe mutuo inciderent, nec tamen
C maritus uxorem ſuam agnoſceret, & cum non agnita Hieroſolymam pergeret; muliebrem enim habitum in virilem commutarat. Res ita narratur in Viridario Sanctorum, quod nuper ex Græcorum Menæis confecit *Raderus*. Elapſo duodecennio rogavit Danielem Abbatem, ut ſibi rurſus loca ſancta Hieroſolymis obeundi faceret poteſtatem, qui benè ei precatus annuit precanti. Dum ergò per Ægyptum iter faceret, ſub arbore reſedit, ut ſe paulum ab æſtu recrearet: cùm ecce ſibi divina providentia uxor illius, & ipſa loca ſancta aditura virili tecta veſte, viro ſuo Andronico occurrit, qui dum inter ſe conſalutarent, illa quidem virum mox agnovit, ſed ille uxorem, quòd forma illius, & pulchritudo, præ ſtudio religioſæ exercitationis concidiſſet, & in æthiopiſſam penitus degeneraſſet, haud cognovit. Alloquitur ergo hunc: quò tendis, Domine pater? Hieroſolymam, inquit ille, ad loca ſancta, & illa: eadem mihi mens illuc proficiſcendi, tum ille: ſi placet,
D unà iter faciamus: placet, inquit illa, ſi ita jubes, ea tamen lege, uti in itinere perinde ſilentium obſervemus, ac ſi ego penitus abeſſem, &c. *Et mox*. Ita ambo unà profecti, loca ſancta adorarunt, ſilenteſque Alexandriam reverſi ſunt, &c.

His aſſocietur Pelagia Pœnitentiæ nomine decantata, & aſſumpto virili habitu Pelagius vocitata, de qua hæc in *Actis ejus Jacobus Diaconus Heliopoleos*: Adit Pelagia Hieroſolymam, & in monte Oliveti, ubi Dominus precatus eſt, ſibi cellulam conſtruxit, &c. Elapſo inde triennii, aut quadriennii ſpatio, mihi Jacobo cupido inceſſit, proficiſcendi Hieroſolymam, & adorandi illic reſurrectionem Domini Salvatoris. Rogavi itaque Epiſcopum meum, ut mihi cum ipſius bona venia eò liceret proficiſci. Aſſenſit ille, juſſitque, ut, ubi eò perveniſſem, inquirerem de quodam fratre Pelagio, monacho, &c. Perveni igitur Hieroſolymam; & cum adoraſſem ſanctam Chriſti reſurrectionem, altera die perquiſivi de ſervo Dei Pelagio. Inveni autem illum in monte, ubi Dominus oravit, in exigua, eaque undique occluſa cellula degentem; in cujus pariete parva feneſtra viſebatur. Percuſſi itaque oſtium feneſtellæ: moxque illa aperuit, videnſque me, facilè agnovit; cùm ego illam prorſus non agnoſcerem. Quo enim pacto cognoſci E
poſſet, quæ mihi anteà viſa erat ſumma formæ elegantia, & pulchritudine: at nunc, præ nimia abſtinentia, vultus macie extabuerat, oculi intrò receſſerant, ut quædam concavæ foſſæ viderentur? Ait verò ad me: Unde venis, frater? Reſpondi, me miſſum ad ipſam à Nonno Epiſcopo. Et illa: Oret, inquit, pro me: quia re vera ſanctus vir eſt: moxque occluſit feneſtellam, cœpitque pſallere preces horæ Tertiæ. Ego poſtquam oravi ad parietem cellulæ ejus, receſſi, multùm adjutus angelico ejus conſpectu. Reverſus inde Hieroſolymam, monaſteria perluſtravi, inviſique fratres. Magna autem Pelagii fama in iis percrebuerat. Quamobrem conſtitui rurſus ad eam reverti, ut poſſem ejus ſalutari doctrina recreari. Sed, ubi ad cellulam ejus pulſavi, eamque nominatim appellavi, nihil reſpondit. Cùmque idem feciſſem altero, & tertio die, nullam ejus vocem perſenſi. Dixi itaque apud me: Aut nullus hic eſt; aut ille monachus, qui hic mihi viſus eſt, aliò commigravit. Interim divino quodam permotus inſtinctu: Quid ſi, inquam, per feneſtellam intrò inſpiciam? Inſpexi ergò, & vidi eam exanimem, &c. Abiit autem rumor ad totius populi aures, veneruntq; ex omnibus monaſteriis Virginum, tam quæ in Hiericho, quàm quę F
ad Jordanem erant, ubi Dominus baptizatus eſt, cum cereis, lampadibus, & hymnis; depoſitæque ſunt ſanctę ejus reliquię, & à ſanctis Patribus aſportatæ.

De Matre B. Claræ hæc prodidit, qui ejuſdē ſanctæ Virginis res geſtas ad poſteros tranſmiſit. Vacabat pro poſſe divinis obſequiis, inſiſtebat operibus pietatis: ultra mare ſiquidē cum peregrinantibus devota tranſivit, & loca illa perluſtrans, quæ Deus homo ſacris veſtigiis cōſecraverat, tandē cum gaudio remeavit. Item ad ſanctum Michaelem Archangelum cauſa orationis acceſſit, & Apoſtolorum limina devotius viſitavit.

Ad viros ſe cōvertat oratio: eoſque ex infinitis pauciſſimos, quandoquidem ne ipſi quidem adverſarii diffitentur, peregrinationem Hieroſolymitanam miriſicis incrementis à Conſtantini Magni Imperio adauctam eſſe. Primus ergo ſit S. Hieronymus, qui non ipſe tantùm hanc peregrinationem ſuſcepit, ſed & in terra ſancta ſtabilem ſedem poſuit. II. S. Joannes Damaſcenus, de quo Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus in ejus vita. III. Philorhomus Presbyter ſub Juliano Apoſtata; qui apud Palladium hæc de ſeipſo. Dignus ſum habitus, qui voti gratia bis propriis pedibus venirem Hieroſolymam ad honoranda loca ſancta, & ipſe mihi ſuppeditavi impenſas. G
IV. Petrus Anachoreta, natione Galata, de quo *Theodoretus*. Hic primo tempore certavit in Galatia. Illinc, videndi gratia venit in Palæſtinam: ut, cùm vidiſſet loca, quæ ſuſceperunt ſalutares paſſiones, in his Deum, qui ſervavit, adoraret: non, ut qui loco circumſcribatur; ſciebat enim ejus naturam non poſſe circumſcribi, ſed ut paſceret oculos ſpectaculo eorum, quæ deſiderantur: nec ſola animæ vis, quæ contemplatur abſque viſu, ſpiritali alimento per fidem frueretur. Iis enim, qui amore aliquem proſequuntur, eſt à natura inſitum, ut non ex ſolo ejus aſpectu capiant voluptatem, ſed & domum & veſtes, & calceos contemplentur cum magna lætitia. V. Gregorius Agrigentinus, qui tempore ſextæ Synodi floruit. VI. Jacobus Diaconus, qui vitam Pelagiæ Nonnæ ſcripſit. VII. S. Andronicus Argentarius cum Athanaſia conjuge ſua tempore Theodoſii Magni. VIII. Theodoſius Archimandrita. IX. Euthymius Abbas. X. Synodius Magiſter Euthymii. XI. Porphyrius, poſteà Epiſcopus Gazæ; de quibus in Actis ſingulorum apud Metaphraſtem, Lippomanum, & Surium. XII. Atherius Archiepiſcopus, de quo in vita Joannis Silen- H
tiarii. XIII. Simeon Abbas, cognomento Salus, qui bis Hieroſolymam venit, primò adhuc Juvenis, & necdum Deo per Monaſticam profeſſionem conſecratus. Secundò; deſerto jam ſęculo Monachus. De priore peregrinatione hæc *Leontius*. Tempore Juſtiniani Imperatoris, cùm accederent ii, qui Chriſti erant amantes, & pro more ſancta Chriſti loca cupiebant adorare, quæ ſunt in ſancta civitate, in exaltatione preciosæ, & vivificæ crucis. (Norunt autem omnes, qui illic adeſſe conſuevere in hoc ſancto, & omnibus laudibus celebrando feſto, quod ex univerſo ferè orbe terrarum concurrit multitudo populorum, quæ crucem, & Chriſtum diligit) accidit, ut in hoc venerabili feſto, duo quidam juvenes, qui erant ex Syria, Dei providentia ſe invicem convenirent. Uni verò nomen erat Joannes, & alteri nomen Simeum. Peracto autem ſancto Dei feſto, receſſit deinceps unuſquiſque in ſuam civitatem, &c. Narrat deinde Leontius, quomodo uterque occaſione hujus peregrinationis mortalibus rebus dereliсtis religioſam vitam complexi fuerint.

De

De altera Simeonis Hieroſolymam peregrinatione hæc
A idem *Leontius*: Simeon recto curſu contendit in ſanctam Chriſti civitatem. Valdè enim, ut dicebat, ſitiebat, & vehementi ardebat deſiderio jam longo tempore fruendi ſacris locis. Cùmque perveniſſet ad ſanctum, & vivificum Chriſti monumentum, ſanctumque, & ſalutare, & victoria inſigne Cranium, ſuum implevit deſiderium. Manſit autem tres dies reſidens in ſancta civitate, ingrediens, & adorans ex omni parte veneranda loca Domini, & orans, &c. XIV. Joannes Abbas, Socius Simeonis, XV. S. Baſilius Magnus, teſte Amphilochio in ejus vita. XVI. Joannes Calybita. XVII. Anaſtaſius Perſa Martyr. XVIII. Theodorus Sicæorum Archimandrita ter Hieroſolymam adiit. De prima ejus profectione hæc *Eleuſius in ejus Actis*. In omnibus divinis Scripturis vitam nobis æternam propinantibus verſabatur, & ſanctum Evangelium ſemper animo volvens, valdè movebatur, præſertim dum conſiderabat, quomodo Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus è cœlis deſcendiſſet, quomodo induiſſet hominem, quomodo cum hominibus verſatus eſſet, ſibique Hieruſalem elegiſſet, in qua cruciatuum ferret acerbitatem, ageretur in crucem, ſepeliretur, & reſurgeret. Hæc ille admirans, è terra ſublimiora ſu-
B ſpiciens, incenſus eſt cupiditate viſendi, & adorandi loca illa ſanctiſſima, ubi Chriſti pedes ſtetiſſent; cùm & Zacharias Propheta gentem, & tribum omnem execretur, quæ non adeat, & adoret ea.

Infrà. Pervenit tandem ad optatam ſanctorum locorum civitatem Hieruſalem, & crucem ſalutiferam, ſanctamque Reſurrectionem, & almum Præſepe, atque glorioſam aſcenſionem, & reliqua omnia ſalutaris mortis, & converſationis magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti monumenta adoravit: inviſitque cuncta monaſteria, & omnes paſſim in cellis incluſos patres, eos quoque, qui interiorem ſolitudinem incolebant, & ab illis benedictionem accipiens, præſtantiorem vitæ rationem, & inſtituta perdiſcebat.

De ſecunda ejus Peregrinatione hæc litteris conſignavit *Eleuſius*. Eum rurſus deſiderium incendit reviſendi ſanctam civitatem Hieruſalem magnam. Quare cum duobus comitibus iter ſuſcepit. Tunc autem Hieruſalem magna ſiccitate laborabat. Cùmque & lacus, & ciſternæ exartuiſſent, magnis omnes in anguſtiis verſabantur. Cives enim, & monaſteria aquas pluvias in lacus, ciſternaſque colligunt, cùm fontes non habeant. Homines igitur, & jumenta aquæ penuria affligebantur. Nec ſupplicationibus quidquam proficiebant, quoniam eam gratiam Deus ſervo
C ſuo reſervabat. Erant porrò illic quidam ex Galatiæ regione, qui magnum Dei ſervum, & ejus miracula cognoſcebant, & de ipſo in ſancta civitate, & in monaſteriis, quoties occaſio id ferebat, loquebantur. Novimus, inquiebant, ſanctum patrem in noſtra regione, qui unica precatione queat aquis univerſum orbem explere, quemadmodum Heliam Prophetam, tempore Achab regis Iſrael feciſſe legimus. Cùm igitur in ſanctam civitatem Hieruſalem ingreſſus eſſet, & ſalutiferam crucem, & ſanctum Chriſti ſepulchrum adoraſſet: & omnia loca ſacra, atque monaſteria inviſeret, videntes eum monachi, qui de illo locuti fuerant, præſentiam ejus tàm in civitate, quàm in monaſteriis divulgarunt. Quamobrem Patriarchæ Hieroſolymitani nomine Clerici, & Monachi ad eum acceſſerunt, rogaruntque, ut precibus ſuis Deum ſibi propitium redderet, & pluviam impetraret.
D Tunc ille, ſe confidere, ſi ſuas ipſe preces cum aliorum Patrum precibus conjunxiſſet, fore, ut Deus pluviam largiretur. Quando, inquit, dicitis vos fidem habere, ſicut creditis, ita fiet vobis. Conſtituta igitur ſupplicatione, dixit militibus: Deponite, filii, ſtolas veſtras, ne madefiant, & vos defatigemini. Celeriter enim mihi credite, pro fide veſtra Deus miſericordiam ſuam vobiſcum faciet. Cùm igitur ſupplicando procederent, & quodam in loco ex mandato ejus precandi gratia conſtitiſſent, ſublatis in cœlum manibus, vir ſanctiſſimus ſatis diu Deum obſecravit, & obſecrante illo parva nubes apparuit ab Occidente. Facto autem obſecrandi fine præcepit, ut ſupplicantes progrederentur. Tunc nubibus totum objectum eſt cœlum: & ingens cœpit pluvia deſcendere, adeò ut madefacti curſu reverterentur, & Deum collaudando ſupplicationi finem imponerent. Omnes autem ciſternæ, & lacus, pluvia, fluminis inſtar, defluente, completi ſunt ob ſervi Dei precationem. Qui, ne propter miraculi amplitudinem turbaretur, ſtatim ad monaſterium rediit.

De tertia ejuſdem peregrinatione hæc accipe *ex Eleuſio*.

L. B. Thcat. vit. Human. Tom. VI.

Cupiditate reviſendi ſanctam civitatem accenſus beatus vir, ibique tertiam obſecrationem abſolvendi, fratribus duobus E
aſſumptis. Joanne Archidiacono monaſterii ſui, & Martino, ex loco, qui dicitur Dugaria, à quo dæmonum legionem ejecerat, ad ſancta loca profectus eſt, & crucem ſalutarem, Chriſtique ſepulchrum, & omnia, quæ illic ſancta ſunt, adoravit.

XIX. Diſcipuli S. Theodori, *Evagrius*. XX. Andreas. XXI. Arſinus. XXII. Joannes Archidiaconus. XXIII. Martinus, de quibus omnibus Eleuſius. XXIV. S. Vvilibaldus primus Aichſtadii Epiſcopus, cujus Hodœporicum exſtat conſcriptum ex ore ipſius Vvilibaldi, à ſanctimoniali quadam. XXV. S. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus. Beatiſſimus quoque Germanus, Præſul Pariſiacæ Urbis, *inquit Almoinus*, ad ſancta loca Hieroſolymam pergens, indeque rediens, præfatum Principem, (nempè Juſtinianum Imp.) adiit: à quo & honorificè eſt ſuſceptus. Cùmque eum plurimis vellet decorare muneribus, vir Deo plenus, auri, & argenti ſpernens, munera, ab eo reliquias tantummodo Sanctorum expetiit. Cujus devotioni præſatus congaudens Princeps, de Domini noſtri Jeſu Chriſti corona ſpinea, ſimulque reliquias Innocentium, unàque brachium F
S. Georgii martyris pro magno munere contulit. Quæ vir Dei gratanter ſuſcipiens, ad propria rediit, & prædicta Sanctorum pignora in Eccleſia ſanctæ Crucis, ſanctique Vincentii condidit. XXVI. Gaudentius, Epiſcopus Brixianus, qui tempore S. Ambroſii vixit. Scribit iſte *Pater in ſermone de templi dedicatione*, ſe peregrinatum Hieroſolymam, & in itinere, cùm tranſiret per Cæſarem Cappadociæ, acceptſſe dono à duabus ſanctis mulieribus, neptibus magni Baſilii, Reliquias quadraginta Martyrum. XXVII. Martinus Galliciensis. XXVIII. Licinius Turonenſis Epiſcopus. XXIX. Thalelæus Monachus. XXX. Joannes Eremita. XXXI. Macarius Patriarcha Antiochenus. Hic, ut in Actis ejus dicitur, ante omnia terram promiſſionis petiit, unde humani generis eſt orta redemptio: non invitus ipſam quoque pro redemptore ſubiturus mortem, ſi res poſcere videatur. Ibat ultrò in exilium ſponte ſuſceptum, ut expeditior poſſet proficiſci in patriam cœleſtem: ſed, ut dixi, primò adiit terram, Domini Salvatoris præſentia quondam inſignitam, voluitque videre Capharnaum, miraculorum Domini familiarem, & omnem luſtrare Galilæam, Hermon quoque, & torrentem Ciſſon, ubi ſuperatus eſt Siſara, itemque Naim, in G
cujus portis ſuſcitatus eſt filius viduæ. Tum etiam deſertum intuiri, ubi de quinque, & ſeptem panibus, quinque, & quatuor hominum millia ſaturata ſunt: in Cana, ubi aquæ ſunt mutatæ in vinum, veram deguſtare vitem, videreque Nazareth, juxta nominis ſui interpretationem, totius florem Galilææ: in Samaria Joannis Baptiſtæ, Heliſæique, & Abdiæ venerari cineres, Amos quoque Prophetam buccina paſtorali in ſua rupe clangentem conſpicere. Indè ad paſtorum caulas pergere, in ſpelæo David orantem, fluenta Jordanis ex lavacro Domini puriora attendere: videre Lazarum faſciis colligatum de monumento prodire in monte Oliveti cum Domino aſcendente, votis, & animo ſublevari, locum ligni S. Crucis exoſculari, & lambere, ſpeluncam Salvatoris intrare, & in ſepulchro Domini tamdiu deſiderato, peccata tum ſua, tum totius orbis plangere. Antevertit autem fama venientem, & jam uſque ad aures ſancti Patriarchæ Joannis pervenerat. Ubi autem advenit, Hieroſolymitani eum officioſè exceperunt, & à ſancto Patriarcha honorificè retentus, ali- H
quandiù illic moratus eſt. Delectabat enim eum dormitorium Salvatoris, & locus Calvariæ, ubi Dominus noſter crucifixus, ſalvatoris occubuit victima pro omnium redemptione: delectabat etiam cum Judæis de illorum perfidia verba miſcere, & cum Saracenis congredi, ſi quem illorum poſſet ab errore revocare.

XXXII. Dodechinus Abbas, Continuator Mariani Scoti, qui etiam ſuæ in Palæſtinam peregrinationis hiſtoriam conſcripſit, XXXIII. Arcuulfus Galliarum Epiſcopus, ex cujus ore Adamnanus Presbyter, & Abbas Monachorum, qui erant in Inſula Hu, commentarium de locis ſanctis contexuit: de quo hæc *Beda*. Scripſit idem vir (Adamnanus) de locis ſanctis librum, legentibus multùm utiliſſimum, cujus auctor erat docendo, ac dictando Galliarum Epiſcopus Arcuulfus, qui locorum ſancta ſanctorum venerat Hieroſolymam: & luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, multaſque maris Inſulas adierat patriamque navigio revertens, vi tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ littora delatus eſt: ac poſt multa, ad memoriam Chriſti fa-